939.84
R71v

K-12-3
2 d. 10



939.84
R71v
Rare Book & Special
Collections Library

C 4.7.y.1

Valdrieu

Rezia

Valtellina

26.9

VELDIDENA
URBS ANTIQUISSIMA AUGUSTI COLONIA
ET
TOTIUS RHÆTIÆ PRINCEPS
In Tractu præcipuè Wilthinensi
& Oenipontano
E TENEBRIS ERUTA ET VINDICATA
Insertîs compluribus adhuc ineditis, quæ
per Tyrolim supersunt, Monumentis Romanis
ab

Antonio Roschmanno, J. U. Lic.
Almæ Universitati Cæsareo-Leopoldinæ à Secretis
& Actis & Illustriss. Provinciæ Ordinum Historiographo.

Cum Permissu Superiorum.

Prostat
Apud Danielem Bartholomæi & Filium,
Bibliopolas Ulmenses.
M D C C X L I V.

LIBRERIA Muzzi

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://archive.org/details/veldidenaurbsant00rosc

939.84
R711

Illuſtriſſimo Domino

DOMINO FERDINANDO BONAVENTURÆ,

S. R. I. Comiti

de Harrach

in Rohrau,

Domino Dynaſtiarum Namieſt & Luderzow.

Archiducatûs Auſtriæ Infra & Supra Anaſum

Hæreditario Stabuli Præfecto,

Sacræ Regiæ Majeſtatis Auguſtiſſimæ Hungariæ & Bohemiæ Reginæ

Camerario Actuali,

Ejusdemque Aulici Conſilii

Primo Conſiliario.

515812

ILLUSTRISSIME VIR!

PAtere paullùm, ILLVSTRISSIME VIR, ut Nobiles curas, & labores Tuos, quibus pro AUGUSTA DOMO AUSTRIACA ritè perfungeris, hoc qualicunque conatu meo interpellem, atque locô adulationis, & palpi, Tibi perquàm exosi, hîc potiùs carptim, brevitérque

que perſtringam, quæ Scriptionis occaſio, aut præſentis nuncupationis felix temeritas fuerit.

A luſtris equidem jam aliquot rerum Patriarum cognitione ſummopere delectatus, impoſito tamen nuper ab ILLUSTRISSIMIS PROVINCIÆ ORDINIBUS Hiſtoriographi munere ſeriò mecum perpendere cœpi, quid hiſce in rebus præſtitum, quid neglectum fuerit, aut qua demum ratione, quantúmve in ſingulis ſuppleri queat; ne & noſtris adhuc temporibus incurioſa ſuorum ætas aut incuſari poſſit, aut damnari meritò debeat. Et tum quidem haud difficulter deprehendi, probè quidem à Sæculo decimo tertio Hiſtoriam Principum à Viris graviſſimis uſque ad decimum octavum conſcriptam fuiſſe, deeſſe tamen, quidquid integris antea, & duodecim quidem à Chriſto nato ſæculis (ne quid de vetuſtiori tempore dicam) in re Sacra profanáque tentatum, peractúmque eſt. Quid ergo in re tam ardua conſilii? nemo ſolus tanto oneri par; utpote quod plures neceſſariò depoſceret. Viſum igitur fuit, animandos eſſe complures, qui huic provinciæ ſufficerent, illuſtrandæ nimirum aut aliquando præfuturi, aut operi perficiendo admovendi: digerendum cum his ordine, quid in

ſcriptis Tyrolenſium rebus benè hactenus, & à quibus, ac quantum ſit præſtitum, quàm ampla adhuc meſſis ſuperſit, quibúſque adminiculis feliciter omnia perfici poſſint. Requirebatur autem ſtatim in limine tam in re Sacra, quàm profana, & quidem tam in Latino, quàm vernaculo idiomate ſpecimen aliquod, quod ſaltem tyronum exercere induſtriam, aut ad difficiliora eruenda methodum ac viam monſtrare poſſit: quin etiam, ſi præter vota neutrum accideret, ſperare tamen auderem, id Antiquitates ſaltem Patriæ depulſô nonnihil prioris ævi malô commendaturum eſſe: illo nimirum, quô pronîs auribûs à Viris etiam doctis ſæpiùs infirma quoque non indagatîs aſſertorum rationibûs, aut unde hauſta ſint, puris, impuríſve fontibus, accepta fuiſſe, juſtiſſimè dolemus.

Argumentum igitur ſive Specimen Antiquitatum Tyrolenſium Scriptioni meæ duplex præfixi, profanum & Sacrum, in utraque Lingua tractandum, perantiquum utrumque, & intactum hactenus omnibus: ſuſcipiendum fuit profanum priùs, tanquam antiquius, præſens nimirum de Veldidena opus; cùm præmittenda multa in hoc genere ſint, antequàm ad Sacra nos accingamus, in

in quibus ſpecimen alterum, Acta nimirum S. Valentini Rhætiarum Apoſtoli in vernacula Deo dante propediem ſequentur.

Utriuſque hujus propoſiti mei decuit utique, ut & TE, ILLUSTRISSIME VIR, per alios certiorem redderem; cùm in Conſilio illo Supremo Vindobonenſi, quô Res etiam Tyrolenſium trutinantur, in ſententia dicenda locum teneas. Tantúmque abfuit, ut reſpueres, ſed quæ tua in me ignotum aliàs, immeritúmque benignitas fuit, ut etiam Nomini Tuo tanquam primum Antiquitatum Tyrolenſium Specimen nuncupari dignatus ſis, memor illius paræmiæ: *operi incipienti favendum.* Conſiderandum equidem mihi tum fuiſſet, non quid oculi Tui pati poſſint, aut potiùs velint, ſed quid virtutibus Tuis debeatur. Hæc mea cura, hæc difficultas fuit, ut mihi digna Hiſtoriographo, digna Veteri & Illuſtri Stirpe Tua, digna veſtris, quæ ſanctè obitis, ampliſſimis muneribus contingat opera. Immenſa ideò præter cætera cura me ſubeat, neceſſe eſt, ut, quæ Tibi dicantur, TE digna ſint. Verùm ſi molâ etiam ſalsâ (ut cum Plinio loquar) litant, qui thura non habent, nec ego incuſandus ero, ſi has laborum meorum primitias non fiducia o-

peris, ſed ſpe non improbandæ in Patriam pietatis Tibi conſecrem. Non enim ad certamen adulationis miſeræ, ſed ad tutelam mihi neceſſariam, & ad uſum forte publicum iſta parantur. Seria Te res delectat, ILLUSTRISSIME VIR, liberales Muſæ, & Studiorum honor. Habet enim hoc primum Domûs Tuæ gloria, ut in Gente Tua nihil unquam mutaverit fortunæ amplitudo, niſi ut prodeſſe tantundem poſſet, quantum vellet: Summa ejuſdem, & itura in ſæcula, æternóſque Annalium honores, propenſio fuit, inter ſplendidas Dignitatum adminiſtrationes, in quibus virtutes ſpatium exemplorum habuêre, rariſſima moderatione Muſas, & bonas artes omnes intimo ſinu excipere: & tempora remiſſionum eſſe curas Litterarum, admiſſiones Litteratorum: damnare autem perverſa & indecora Chriſtianis moribus & nobili animo ſtudia, ſanam verò Criticen, Diplomaticam, rem antiquam Romani & medii ævi univerſam præſidiô & tutelâ dignari. Ingens hoc meritum, ſed majus illud, per hæc ne famam quidem, cui etiam ſæpè boni indulgent, quærere. Injuria porrò Virtutum foret, ſi ſilentiô involverem, quòd ſicuti modeſtia, labore, vigilantia, & indeflexa ætatis

tis maturitate alios antecellis, ita etiam authoritate, consilio & fide citra invidiam superas; & tantus tamen cùm sis, cultu tamen es modicus, sermone & admissione facillimus: Et quamquàm tantum temporis saluberrimîs absumatur consiliîs, ut vix horula amœnioribus Litteris superfit, hortari tamen privatim, & adjuvare publicè rem omnem Litterariam haud unquam cessas.

Tantis igitur lætus auspiciis Conatum hunc meum de Veldidena Tibi offero, ILLVSTRISSIME VIR, quem dum legis, TE judicem facis, maximum præmium meum erit, judicium, suffragium Tuum: Honori Tuo, & Patriæ destinatus hic liber, seu professione pietatis laudandus sit, seu excusandus, Tuo tamen patrocinio tutus erit, & sic in posterum ille summus mihi & idem gratissimus labor erit, si res Patrias ulteriùs TE protegente elucubrare, & pro his in arenam descendere jubear.

TIBI verò ILLVSTRISSIME VIR, ætatem dent Superi, quam mereris, servéntque animum, quem dedêrunt: per hunc enim artes spiritum, sanguinem & Patriam recipiunt, cùm eas in complexu, oculis & auribus habes: præstas enim,

enim, quæcunque præcipiunt, tantúmque eas diligis, quantùm ab ipſis probaris. Longam igitur ætatem, longam TIBI gloriam precor, manſuram in animis hominum, in æternitate temporum, & fama rerum.

Ita vovet

ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO

Devotiſſimus & obſequioſiſſimus

Antonius Roſchmannus.

APPRO-

APPROBATIO.

LEgi Tractatum, cui titulus: *Veldidena Urbs antiquiſſima &c.* in quo nihil reperi, quod poſſet fidem & bonos mores offendere: cúmque idem Tractatus non modicam illius, quam peramplam poſſidet Author, Eruditionis partem exhibeat, & antiquam viciniæ noſtræ dignitatem multùm illuſtret, dignus eſt, qui typis impreſſus publico communicetur. Ita cenſeo Oeniponti 24. Aprilis 1740.

Mathias Stöttlinger, S. J.
SS. Theologiæ Prof. Publicus Ordin. & p. t. S. Facultatis Decanus.

Conſpectus Operis.

1. *Occaſio & finis hujus Scriptionis proponitur, indaganda nimirùm Veldidenæ Nobilitas.* *Pag.* 1

2. *Ordo ac Progreſſus in hoc Scripto ſervandus docetur.* 4

3. *Quænam Provincia Romana Rhætia fuerit, in qua ſita Veldidena.* 7

4. *Unde probari ejus Nobilitas poſſit.* 10

5. *Quomodò ex Itinerario Antonini.* 15

6. *Ex*

6. *Ex Tabula Peutingeriana.* 18

7. *Ex Notitia utriuſque Imperii.* 22

8. *An ſuis in Itinerario Directionum Urbibus ætate par fuerit Veldidena.* 27

9. *An etiam Colonia Romanorum, ùt illæ, fuerit.* 31

10. *An etiam Regionis Caput eſſe potuerit.* 34

11. *Aſſertio contraria Velſeri Auguſtam Vindelicorum urbem Rhætiæ principem ſtatuentis cum ſuis Authoritatibus profertur.* 41

12. *Allati ab ipſo in hanc rem Nummi recenſentur.* 46

13. *Reliqua Monumenta, quibus innititur, enarrantur.* 49

14. *Diſcutiuntur Authoritates à Velſero allatæ.* 51

15. *Utì & Nummi.* 60

16. *Ac cætera Monumenta.* 66

17. *Quantùm ex his pro Auguſta ſua concedendum Velſero ſit.* 69

18. *Rhætiam cum Vindelicia non debere aut poſſe confundi, monſtratur.* 75

19. *Nec diviſionem illam in Rhætiam I. & II. Vindelicam Hadriano tribuendam, ſed circa Conſtantini tempora primùm inventam eſſe.* 81

20. *Rhætiam dudum ante Vindeliciam Romanis cognitam, utì & Incolas fuiſſe.* 89

21. *Romanóſque Scriptores ſemper magnificè de ea ſenſiſſe.* 93

22. *Montem Rhæticum quoque Brennerum antiquiſſimis Græcis, Romaníſque Scriptoribus innotuiſſe.* 99

23. *Nec non Populos ab hoc denominatos, inter quos Veldidenæ Incolæ.* 105

24. *Re-*

24. *Reliquos quoque Rhætiæ populos longè diverſos à Vindelicis fuiſſe.* 110

25. *Veldidenam à Tuſcis ſeu Rhætis conditam fuiſſe probabiliter aſſeritur.* 115

26. *Ab Auguſto Coloniæ dignitate ornatam fuiſſe rationibûs firmatur.* 120

27. *Coloniam Latinam fuiſſe cum titulo Emeritæ fere ex Nummis ſuſpicari licet.* 124

28. *Sub aliis inſuper Imperatoribus Coloniam, & Municipium fuiſſe ex marmore Romano colligi poſſe videtur.* 130

29. *Theodoſii adhuc tempore Urbem Rhætiæ principem fuiſſe conjecturîs non omnino ſpernendîs probatur.* 135

30. *Contrariæ Eruditorum ſententiæ refelluntur, Curiam, Tridentum, aut Druſomagum Caput Rhætiæ I. opinantium.* 140

31. *De-*

31. *Demum ab Attila deſtructam eſſe Veldidenam exemplô aliorum in Rhætia Locorum credibile fit.* 145

32. *Quænam hodie ex tantis ruinis ſuperſint.* 153

33. *Cur plura requiri non poſſint.* 158

34. *Quomodò ex antiquo Veldidenæ nomine paulatim hodiernum Wilten prodierit.* 163

35. *Concluſio operis.* 166

CAPUT I.

CAPUT I.

Occaſio et finis hujus ſcriptionis proponitur, indaganda nimirùm Veldidenæ Nobilitas.

MIrabitur citra dubium nonnemo, ecquid ego in Litterarum Republica planè novus homo & vixdum tyrocinium ingreſſus tam delicato, & ipſas etiam lautitias faſtidienti ſæculo fœtum hunc præmaturum obtrudere ſuſtineam: Fateor equidem haud illubenter, me ſæpiùs manum de tabula removiſſe, ſæpiùs admoviſſe iterum, adeò *omne opus difficile videtur, antequam tentes:* Tentandi tamen aliquid acres me dudum ſtimuli fodicabant; unum enim, alterúmve jam luſtrum eſt, ex quo, dum vicinos Oeniponto Wilthinenſes Campos obambulo, amœnóſque omni ex parte clivos, aut ad Oeni Utiique confluentes ripas oberro, agris hortíſque lætiſſimas: vel ſi antiquiſſimum ac perelegans ſeu Veldidenenſe, ſeu Wilthinenſe, ùt hodie vocant, Aſceterium tacitus contempl , dum denique antiquiſſimô hoc Cœnobiô antiquiorem adhuc, c ab ultimis, ùt ferunt, temporibus iſthîc cultam Divæ Virginis ex Lapide Iconem ſub quatuor Columnis per hos campos ſalutatum meditabundus accedo, recedóque, ſæpiùs Majoribus noſtris ſubiraſci ſum auſus, in re antiquaria Tyrolenſi minùs curioſos aut induſtrios fuiſſe, monumenta penè omnia aut neglecta, aut reperta etiam, ſed non intellecta iterùm periiſſe, vehementer indolui: auctúſque in immenſum ante quinquennium

Veget. de Re Milit. l. 2. c. 8.

circiter acerbus hic dolor fuit, ubi ex illorum suasu, imò Imperio, quorum in me potestas est, Tyrolis Illustrandæ Consilium inire sum jussus: Hîc enim verò non ignobiles deprehendi reliquias, quæ dudum conceptam de pulcherrima juxta Oenipontem planitie opinionem firmârunt, magnam nimirùm olim & fortè, sicut hodie, totius Tyrolis Metropolim, ita aliquando principem totius Rhætiæ urbem hoc solum occupâsse, altísque sepultam ruderibus etiamnum hinc inde latitare. Tacita hac cogitatione sæpè sæpiùs defixum primus post Ortelium & Aventinum Germaniæ urbem subodoratos, Hieronymus Surita Nobilis ille, et Doctissimus Hispanus excitavit, qui in præstantissimo ad Itinerarium Antonini Commentario suo Veldidenam, seu Wilthinam nostram *Nobilem in hoc Itinerario Mansionem* compellat, nec aliter Cluverius addita etiam ratione sentit: *Veldidena, quæ quinquies in eodem Antonini Itinerario perscribitur, haud dubiè in Tabula erat Veldidina, ex nomine & itineris ductu sine omni controversia deprehenditur esse oppidulum, num cum Cœnobio prope urbem Oenipontem vulgarî vocabulô Wilthen ad Oeni Utiúque amnis confluenteis. Fuisse quondam alicujus nominis, celebritatísque locum vel ex eo patet, quòd varia itinera eò terminârit Antoninus.* Cluverii subin vestigia pressit testis oculatus Petrus Lambecius, dum Augustissimum Leopoldum in Tyrolim, sibi Anno 1665. hæreditate advoluta, delatum comitatus ita de Wilthinensi Cœnobio scripsit: *Illud secundo post die, quàm Oenipontum perveneramus, summô desiderió invisi, ut contemplarer vestigia antiquæ urbis Veldidenæ, quam certò constat, ibi olim fuisse sitam ad Romanorum veterem viam militarem ex Italia per Alpes Augustam Vindelicorum ductam.* Et paulò post: *Quanti autem nominis & celebritatis Veldidena olim fuerit, ex eo patet, quòd Antoninus in suo Itinerario tria diversa Itinera ibi terminat* &c. Nec alia ævô nostrô mens Cellario fuit, dum ait: *In eodem cursu Septentrionem versùs Veldidena fuit, haud procul ab Illustri nunc urbe Oenipon-te. Olim Nobilem fuisse ex itineribus Antonini patet, quæ Lauriaco & inferiore Oeniponte diriguntur Veldidenam; nunc vicus est Wilten* &c. Omnium verò recentissimè & in paucis appositè rem dixit Clarissimus in Universitate Lipsiensi Juris Publici Professor Mascovius de Druso Rhætos premente verba faciens: *Caput Provinciæ Veldidena fuisse videtur, cujus nomen adhuc hodie Cœnobium in Wiltau gerit* &c. Sed utinam majori rationum pondere magni hi Viri firmâssent Veldidenam, haud leviter etenim timeo, ne id difficulter persuadeant reliquæ

Ital. antiq. f. 122.

Commentar. Bibl. Vindob. L. 2. c. 8.

Not. Orb. antiq. l. 2. c. 6. f. 226.

Geschichte der Teutschen l. 3. §. 2. & 12. in Not.

Litte-

Litteratorum Coronæ; utpote qui Lipſii, Scaligeri, Gruteri, atque aliorum in re Litteraria facilè Principum exemplô omnes unanimî calculô in Viri ſummi Marci Velſeri manibûs pedibúſque ivêre ſententiam, non Veldidenam, ſed Auguſtam ſuam Caput Rhætiæ, nec obviis, tritiſve, ſed lectiſſimis, quæ ex omni Antiquitate, Nummorum, Lapidum, & Monumentorum fide petiit, argumentîs integro ſtatuentis volumine. Tam inconcuſſum quippe perſtitit hactenus Velſeri effatum, ut pauciſſimis etiam dubitare licuerit, num uſpiam hic à ſcopo aberrârit: quin à ſeſqui pene ſæculo vix unum alterúmve protuleris, qui Duumviro huic in conſtituenda Auguſtæ Republica, & deſignando Rhætiæ Capite contra ire, imò vix unicam labefactare ſententiam ſit auſus. Nemo igitur difficilem mihi Spartam obtigiſſe diffitebitur, nemo laborem invidebit, aut malè vertet, ſi non malus etiam Patriæ Civis totus animis concidat. Si etiam ſeu monenti ſeu jubenti propiorem Cæſarem, *ubi intenderis, ingenium valet*, reſpuat: ſi Senecam excitantem negligat: *Imbecillæ mentis atque ægræ eſt, formidare inexperta:* Et ſanè ut rem dicam, parùm abfuit, quin animum deſpondiſſem, niſi hunc opportunè erexiſſet Romanus Orator aſſerens: *Supervacaneus foret in ſtudiis longior labor, ſi nihil liceret melius invenire præteritîs.* Et Seneca itentidem inculcâſſet: *Cogenda eſt mens, ut incipiat.* Date igitur veniam magni Velſeri Manes! ſi Auguſtam veſtram tantô à vobis ſtudiô meritò ornatam penſiculatiùs luſtrare præſumam, nunquam reverentiæ, quæ vobis eximia in paucis debetur, immemor: non eſt enim animus Auguſtam mihi vindicandi, hanc enim Auguſtam, et Coloniam Auguſti, imò Vindeliciæ Caput fuiſſe cum Conſule iſthoc propugno: ſed ſolam Auguſtam, Auguſti Coloniam, Auguſti ævô, & Rhætiæ utriuſque, confuſô etiam utroque populô, Principem fuiſſe haudquaquam alienô in vos animô, aut ignobili quadam contradicendi libidine, ſed juſtiſſimô in Patriam obſequiô, nec tamen irreverenter impugnabo. Sub Velſero Veterano & tot palmarum Duce ipſus tyrocinia ponam, & ſi fortiores fortè arietes mihi ſuppetant, nunquam in Velſerum indecentiùs torquebo, ſed temporum invidiam, & monumentorum illô adhuc ævô penuriam minimè iniquus Cenſor accuſabo, quibûs Vir ſummus adhucdum deſtitutus ignorare quamplurima citra culpam potuit, etſi aliàs è tenebris, quæ tum paſſim à Scriptoribus nondum ſat Criticis non tam

Apud Salluſt. Catil. Conjur. c. 51. Ep. 50. Quintil. 33. Ep. 50.

diſpellebantur, quàm interdum etiam adhuc largiùs affundebantur, ferè primus feliciter eluctatus ſit. Nec ipſe Velſerus, ſi viveret, (adeò Litteratos fovebat, excitabat, ſuſtentabat) monumenta reſpueret, aut fortè etiam argumenta: qui unicè ut Litteris & Litteratis viveret, vixit. Nullô modô igitur in illum injurius ſed exemplô ejuſdem gratus Patriæ meæ Civis veniam etiam à te, Lector Benevole, expeto, ac Magni Auguſtini verbîs legentem hæc noſtra alloquor: *Quiſquis hæc legerit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum, ubi pariter hæſitat, quærat mecum, ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me, ubi meum, revocet me.* Si autem cum Eumenio *dicet aliquis vetera iſta ſunt:* reſpondebo illi cum eodem Panegyriſte: *Et quidem hoc ſanctiora, quò vetera;* Cùm apud rerum intelligentes certum ſit hodie, has lucubrationes de re Nummaria, Lapidaria, & antiqua Geographia Criticas Hiſtoriæ ſacræ & profanæ prima eſſe fundamenta, & totius Structuræ Lapides angulares, ſine quibus firmum nihil, ne dicam curatum, aut elegans ſit.

In Paneg. Conſt. grat. act. Flav. IV. 1.

CAPUT II.

Ordo ac Progreſſus in hoc ſcripto ſervandus docetur.

In præfat. m. p. 5.

Cùm teſte Hiſtoriæ Naturalis Parente Plinio *res ardua ſit vetuſtis novitatem dare, novis authoritatem, obſoletis nitorem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem*, in illis præcipuè rebus, ùt idem rurſus ad divum Veſpaſianum præfatur, *quæ nec ingenii ſunt capaces, quod alioquin nobis perquàm mediocre erat, nec admittunt exceſſus aut orationes, ſermonéſve, aut Caſus mirabiles, vel eventus vanos, non alia jucunda dictu, aut legentibus blanda. Sterilis materia rerum natura, hoc eſt, vita narratur.* Dico ego, ſterilis materia Veldidenæ Nobilitas, Antiquitas, præſtantia narratur, verbíſque Authoris iterùm pergo: *præterea iter eſt, non trita Authoribus via, nec qua peregrinari animus expetat, nemo apud hos, qui idem tentaverit:* Quapropter cùm nec leve ſubſit periculum, ne verba dare videar, ordinem ducendorum hîc breviter perſtringam.

Et

Et inprimis quidem cùm Veldidenam urbem Illuſtriſſimam, antiquiſſimam, Auguſti Coloniam, & totius Rhætiæ Principem exhibiturus ſim, capite proximo docebo, in qua provincia Romana ſita olim fuerit urbs noſtra. Hoc edocto authoritates excutiam, quibus aſſerta noſtra fulciantur, & quia præcipua, prima atque iterata Veldidenæ mentio in Celebri illo, quod vulgò Antonini appellant, Itinerario occurrit, ejus antiquitas, uſus, & Authoritas quoad Veldidenam diſcutienda eſt. Itinerario Viri docti more jam recepto Tabulam, ùt vocant, Peutingerianam jungunt, quæ cùm pariter Wilthinæ noſtræ meminerit, ejuſdem quoque origo ac teſtimonium, quantùm huc pertinet, indagandum eſt: & cùm utrumque non rarò Imperii utriuſque Notitia illuſtret; hinc utrùm iſthæc de Veldidena quid afferat, ſeriò inquirendum. Cùm verò in Itinerario tertium ùt Directionis Itinerariæ terminus compareat Veldidena; Capita primò Directionum Laureacum, Pons Oeni, Auguſta Vindelicûm, Aquileja, Verona breviſſimè eruderantur: & quia hæ omnes Regionum ſuarum urbes principes, Auguſti inſuper, imò quædam Auguſtô antiquiores probentur Coloniæ, pronum eſt quærere, an Veldidena his Directionum Capitibus ætate par, an Romanorum Colonia, an urbs etiam tam nobilis, & Caput Regionis fuerit, aut provinciæ? Veruntamen quum in medium hîc ſeſe inferat Vir Nobiliſſimus æquè ac Doctiſſimus Auguſtæ ſuæ Duumvir Marcus Velſerus, veluti ex tripode pronuntians Auguſtam ſuam Caput Rhætiæ, atque Principem Auguſti Coloniam, nullam verò nobis fuiſſe &c. Ejus authoritates afferuntur, Nummi deſcribuntur, monumenta per ſynopſin enarrantur, tum ſervatis ordinibus, nec pede moto Authoritatibus reſpondetur, nummi examinantur, monumenta ad trutinam vocantur. Quoniam verò non tantùm rationes utriuſque gentis, Rhætorum nempe & Vindelicorum confuſas velit hic Author, ſed gentes etiam ipſas Rhæto-Vindelicas & geſta communi utriuſque nomine comprehendat, oſtendere Antagoniſtæ ſtudebimus, Rhætiam à Vindelicia diſtinctam ſemper provinciam, & populos fuiſſe, diviſionémque in Rhætiam primam, Alpeſtrem nimirùm, & Rhætiam ſecundam, Vindelicam nempe, immeritò Hadriano adſcribi, ſed primùm poſt Conſtantinum inventam eſſe, multis exemplis fulciemus.

Mox Rhætiam noſtram dudum ante illam Vindeliciam ſcilicet, Romanis cognitam, & Rhætos longè ante Vindelicos clariſſimos,

regionémque ſummo ſemper in pretio iiſdem Romanis fuiſſe, quin & montem noſtrum Brennerum, ad quem ſita Veldidena, jam antiquiſſimis Græcorum Latinorúmque Scriptoribus celebrari, hujúſque accolas populos inter Rhæticos ſingulariter claros fuiſſe indubiîs (ni vehementer fallamur) Authorum teſtimoniis monſtratum imus. Denique etiam Plinii authoritate Veldidenam jam à Tuſcis ſeu Tuſco-Rhætis conditam non improbabiliter aſſerimus, tum bello Auguſti Rhætico illuc deductam Coloniam Latinam, & Veteranos: inſupérque titulum Emeritæ, ac poſtea ſaltem jura Coloniæ & Municipii adeptam fuiſſe non ineptis, ùt ſperamus, conjecturis, retenta urbis principis uſque ad Theodoſii tempora dignitate, palam facimus. Ex quibus proin haud difficulter eruemus, errâſſe Cluverium, dum Tridentum Caput Rhætiæ primæ dixerat, imò & Velſerum, qui præter urbem utriuſque Rhætiæ principem, qualem vult Auguſtam, Curiam inſuper Caput illius primæ, cum Scriptoribus Regionis ejuſdem ſtatuit, quos præter alia ſuis etiam argumentîs petimus: minus negotii nobis Frenshemius cum Druſomago faceſſit. Tandem ab Attila deſtructam eſſe Veldidenam exemplô aliorum in Rhætia locorum opinabimur, ubi etiam de fatis ulterioribus aliquid ex conjecturis non omnino leviſſimis afferre conabimur. Et quamquàm ex his, quæ attulimus, aliqui certò ſibi perſuaſuri ſint, ex tanta urbe Reliquias complures neceſſariò ſupereſſe debere, quemadmodùm etiam hodie, & quidem magis magíſque ſuppetunt; haud difficulter tamen monſtrabimus, cur plura non ſuperſint, minùs arduum verò nobis videtur, rationem & morem noſtrum docere, quomodò ex antiquo Veldidenæ nomine hodiernum Wilten enatum fuerit. Ultimò aliis præeuntibus ſpem concipio, non omnino inutilem talem ſcriptionem, aut Patriæ indecoram fore.

CA-

CAPUT III.

Quænam olim Provincia Romana Rhætia fuerit, in qua ſita Veldidena.

SI ſingula, quæ in hoc Conatu allaturus ſum, tam levî brachiô conficerem, quàm facilî negotiô præſentis ſcopum Capitis poſſum attingere, gratulandum utique Veldidenæ foret; in ſuo quippe illa dignitatis apice luci publicæ ſeu meridianæ expoſita omnium oculos & ſtudia in ſe converteret, & non tam recenti, quàm antiquo ſplendore undequaque compareret illuſtriſſima. Tyrolim enim noſtram ſub Rhætiæ olim nomine comprehenſam fuiſſe, nemo hodie doctorum eſt, qui ambigat. Verùm quòd varios forte nanciſcar lectores, juvat & hoc ipſis palam facere, & Authorum firmare teſtimoniis. Rem compendio ad mentem antiquorum recentiorúmque Baudranus dedit ita prolocutus: *Rhætia propria complectebatur totam illam Regionem inter Alpes Rhæticas & Tridentinas, ubi hodie Griſones populi ſeu Rhæti, Tridentina ditio, Tyrolenſis Comitatus, & Vallis Telina, ubi populi fuêre Brigantii, Sarunetes, Riguſci, Vennones, Tridentini, Breuni & Genauni. Inter Vindeliciam ad Boream, partem Norici ad Ortum, Galliam tranſpadanam ad Meridiem, & ad Occaſum.* Lexic. Geogr. T. 2. f. 116. Geographo Iuriſconſultum Iacobum Ottonem in ſuis ad Beatum Rhenanum notulis ſociamus, apertiùs forte & ad captum illorum proloquentem, quibus recentiora populorum noſtrorum nomina præ antiquis illis nota ſunt; *Rhætiæ*, inquit, *nomine continebatur olim, quidquid terrarum inter Rheni fontes, nec non montem Adulam & Oenum fluvium juxta Alpes continetur, præterea inter Danubium & Italiam Veronam uſque & Comum; ita ut & Alpes, qui nunc Curienſes & Atheſini vocantur, Tridentini & Tyrolenſes quoque, & Oeni Vallis Incolæ omnes ſub Rhætiorum nomine comprehenderentur, exceptâ Vindelicîâ, quæ proprium ſortita eſt nomen.* Rer. Germ. l. 1. f. 71. Lubet hæc recentiorum ſenſa antiquorum teſtimoniis roborare, audiamus igitur Strabonem diſertè loquentem: *Supra Comum, quod eſt ad radices Alpium ſitum, habitant verſùs Orientem Rhæti & Vennones, ad alteram partem* Geogr. l. 4. edit. Amſtel. f. 313.

partem Lepontii, Tridentini, & Stoni, tum deinceps montium partes, quæ ortum spectant, & ad meridiem vertuntur, Rhæti & Vindelici tenent, Helvetiorum & Bojorum contermini, quorum campis imminent, Rhæti usque ad Italiam pertinent supra Veronam & Comum. Quam Strabonis sententiam etiam amplexatus est Cellarius, & cum Cellario Cluverius, uterque in antiqua Geographia princeps, & ultimus etiam oculatus quoad Rhætiam cum Holstenio peragratam, testis. Straboni non dissentit Dio Cassius: *Rhæti inter Noricum & Galliam ad Alpes Italiæ finitimas, quas Tridentinas vocant, incolentes* &c. Ptolomæus autem his non tamen sine erroribus (eò quòd nonnulla Vindeliciæ loca cum nostris confuderit) complexus est terminîs: *Rhætiæ Occidentale latus terminatur monte Adula, & linea, quæ est inter Capita amnium Rheni atque Danubii, latus Septentrionale parte terminatur Danubii, quæ à fontibus est usque ad Oeni fluvii scissionem: Orientale latus ipsô Oenô terminatur: Meridionale Alpium montibus binc supra Italiam extensis apud Pœnas juxta principium Lyci amnis, qui in Danubium exit, quive Rhætiam à Vindelicia disjungit.*

Notit. Orb. antiq. t. 1. §. 26.

l. 54.

In Rhæt. situ.

Cæterùm Rhætiæ incolas ex Trophæo Alpium, quod nobis Plinius servavit, discimus, & sunt isti:

l. 3. c. 20. p. 180.

Gentes Alpinæ devictæ:
Venonetes, Isarci, Breuni
Naunes, Focunates.

Et paulò infra:

Brixentes.

Ex his binas etiam Horatius in bello Rhætico Druso Duce commemorat:

l. 4. Ode. 14.

\- - - - - *milite nam tuo*
Drusus Genaunos, implacidum genus
Brennósque veloces &c.

Tridentinos etiam Dio Cassius, hos, & Stonos vicinos Strabo adduxit: *Euganeorum Caput Stonos:* Genaunes & Vennonetes etiam Plinius; si Vennones vis legere, idem rursus Strabo cum Ptolomæo nobis militat, Brixantes verò præter Plinium Ptolomæus commemorat.

c. 1.

morat. De Breunis ſeu Brennis præter Horatium Florus & Porphyrius mentionem facit, Venantio autem Fortunato, Jornandi, Caſſiodorio Freculpho, atque Paulo Diacono ſub nomine Breonum et Brionum, Breonenſium Ariboni Friſingenſi, Brionarum ac Pæonum erronèe S. Gregorio Turonenſi, Appiano, & Divo Hyppolito noti fuêre; hinc etiam Eccleſia Brixinenſis apud Bollandum Brennenſis audit. Et in utriuſque Imperii notitia ſub Duce Rhætiæ I. & II. dæ inter ejus Caſtra *Teriolis* ſpectatur, quod in *Tiriolis* medio ævo, & mox *Tirolis* migravit, unde nos *Tyrolenſes* omnes, quod alibi forte fuſiùs commonſtrabimus. Juvat tamen interim hos breviter & ſingillatim percurrere: Vennones igitur, ſeu ùt alii etiam ex Epitaphio Curienſi apud Guillimannum legunt (imo quidam inſuper in trophæo Alpium) *Venoſtes* Vallis Venoſticæ ſeu *Venuſticæ* Ariboni, Comitatûs *Venuſtæ* in Diplomate Hundio, hodie *Vallis Venuſtæ* incolæ. Hinc *Mons Vennonis* Rhætis ſua in lingua teſte Sprechero *Veſt-Monza* eſt. *Iſarci* ſeu *Hiſarci* accolæ ſunt *Hiſarci* fluvii, ùt illum Proprium Brixinenſe vocat, qui in eodem Proprio *Hiſaccus*, & quod pejus derivatum exinde eſt *Eyſaccus* hodie: olim verò Pedoni Albinovano, aut ejus Librario *Itargus*, Straboni *Iſara* audit. *Brenni* ſeu *Breuni*, montis Brenneri, quod linguâ Celticâ, ſeu antiquiſſimâ Germanâ *apicem montis* ſonat, incolæ & accolæ ſunt. *Focunates* Vallem Solis occupare Plantinus vult. *Brixentes* ſeu *Brixantæ* nec hodie nomen immutârunt, utì nec *Euganei*, quod Paulo Diacono *Alſuca* corrupte, nobis verò ritè Latino idiomate *Vallis Euganea* audit, vulgò *Vallſugana;* nam etſi Viri quidam docti ab Auſugo Antonini id nominis derivent, ex majori tamen tum vocis tum reliquæ Geographiæ noſtræ ratione malim valli huic nomen à populis tractum fuiſſe, quàm à loco; *Naunes* pariter illud ſuum antiquum in valle *Anauniæ* (ùt illam S. Maximus Taurinenſis appellat) tenent. *Genaunes* (ſi tamen diverſi hi ſint à Naunis, quod alibi excutiemus) in *Vall Genaun* & *Ridnaun* locis circa Sterzingam non improbabiliter ad noſtra uſque remanſêre tempora. Et hæc per ſynopſin ſufficiant, donec plura vel in ſequentibus, vel alibi forte ex me intelligas. Duravit autem hæc Rhætiæ appellatio adhuc ſub Gothis, ſed immutari paulatim ad initium ſexti circiter à Chriſto nato ſæculi cœpit, quô, invaleſcentibus in Tridentino Longobardorum rebus, pars illa huic regno accenſita eſt: Tyrolis verò reliqua dein teſte Aribone & Paulo

p. 421.

Wachteri Gloſſ. V. Brenn. &c.

lo Diacono Bojis dominantibus Norici nomine comprehensa fuit, hinc etiam ejus pars erronèe *terra Norticorum* in Diplomate Guillimanni dicta est per Reverendissimum Gotvicensem Præsulem ritè *Noricorum* correcto: Item *Vallis Noricana* apud Mabillonium: & postea in variis Diplomatibus *Regio ad Athesin & Oenum*, atque in *Alpibus* & *Montanis* compellata fuit; Hinc apud Aribonem *Vallenses* & *Vallenenses* seu *Oenivallenses* occurrunt; donec tandem toti Provinciæ nostræ à sede Comitis seu Ducis Tyrolensis, ab aræ nimirùm Teriolis, in totam sese diffudit provinciam, quod sæculo circiter tertio decimo contigisse autumamus. *Cujus præsidii appellatio* deinùt cum Velsero de his ipsis Teriolis loquar, *magnum paulatim terrarum tractum occupavit.* Adstipulatur Velsero Lambecius: *Vulgare hoc & corruptum nomen Tyrolis accepit iste Celeberrimus Comitatus à vetustissima Arce ad Athesin fluvium sita, quæ in antiqua Notitia Imperii Romani Occidentalis, ubi agitur de Duce Rhætiæ primæ & secundæ, appellatur pluralî numerô Terioli.* His prælibatis ad propositum & iter nostrum Veldidenam versus hos accingimus.

Chronici Gotvicens. Prod. 12. f. 831. De S. Corbin.

Annal. Boj. l. 3. f. 90. Bibl. Cæs. l. 2. c. 6. f. 509.

CAPUT IV.

Unde probari ejus Nobilitas possit ac debeat.

UT rite & ordine faciamus:

Singula quæque locum teneant sortita decenter.

Horat. in arte. Quintil. l. 10. Instit. c. 7.

Intendendus animus est non in aliquam rem unam, sed in plures simul continuas, ut si per aliquam rectam viam mittamus oculos, simul omnia, quæ sunt in ea, circáque intuemur, non ultimum tantùm videmus, sed ad ultimum. Quapropter cùm Veldidenæ Nobilitas commonstranda nobis sit, id aliîs adminiculîs fieri omnino nequit, nisi ex illis ipsis inprimìs Scriptoribus, qui de rebus Hetruscis adnotârunt aliquid: tum qui illo etiam tempore, Augusti nempe, inclaruêre, sub quo in Romanarum provinciarum Censum ac numerum Rhætia nostra devenit. Si apud hos obscura duntaxat, aut etiam dubia de rebus nostris mentio fiat, etiam ad Scriptores & monumenta posterioris ævi recurrendum, ad ea præcipuè, quæ initium

tium vel originem ſuam ex illo Auguſti ævo trahere non infrequenti Authorum ſententia novimus. Cùm autem, præter hæc magni ſemper ponderis apud Doctos nummi & lapides habiti ſint, etiam hi conſulendi, num aliquum diviti planè ſinu ſuo recondant. Ut igitur ad præfixum nobis ſcopum perveniamus faciliùs, ea rimanda præ cæteris nobis ſunt, in quibus certa Veldidenæ mentio occurrit: in Itinerario nimirum & Peutingeriana tabula; hinc etiam viam militarem non unam ingredi, itinera diſtinguere, manſiones quærere, & de Itinerario ac variis ejuſdem terminis ſollicitos nos eſſe Viri, quos paulò ante diximus, Litteratiſſimi, cautè monent. Videmus in Itinerario Capita Viarum Laureacum, Pontes Oeni, & Aquilejam: Videmus in omnibus ultimum ſeu terminum Veldidenam: videamus igitur ad ultimum, ad id nimirum, quum, & cur terminus Veldidena compelletur. Hoc ut accuratiùs fiat, rimanda nobis eſt ante omnia Itinerarii hujus antiquitas & authoritas: nam ſi Veldidenam antiquiſſimam eſſe, nobiliſſimámque velimus, nemo tam Bœotæ auris erit, qui, dum hæc audit, non ſtatim requirat, quo Authore hæc aſſerta noſtra fulciamus? Si igitur Antonini Itinerarium, ſi tabulam Theodoſianam laudemus, iterum nobis cum Viris in hac arena exercitatiſſimis Simlero, Ducangio & Cluverio non ultra Theodoſii & Valentiniani ævum progredi nos poſſe ſentiendum eſt. At pace tantorum Virorum utique & nobis licebit inquirere, an non aliqua etiam argumenta, & fortaſſis non adeò infirma, pro Itinerario hoc militent, quæ ejus exordium ad Auguſti ævum meritò promoveant. Longiorem equidem hæc res diſcuſſionem poſceret, quam tamen eò maximè, quòd hanc Inſtituti noſtri ratio non admittat, miſſam facimus, Lectoréſque noſtros ad elegantem illam ſolidamque Cl. Weſſelingii hac ſuper re præfationem ablegamus, ubi triplicem de hoc ſententiam Authorum refert, primam Julio Cæſari & Auguſto, alteram Antonino cuidam Auguſto, & inter hos Antonino Baſſiano & Severo, tertiam Æthico Iſtro, Martiano Heracleotæ aut Ammiano Marcellino, vel Miſſis etiam Theodoſii adjudicantium: Singuli ſuis nituntur rationibus, & Weſſelingius ipſe, qui hanc rem omnium curatiſſimè diſcuſſit, putat Exemplar hoc, quod hodie nobis ſupereſt, Severi Imp. & Caracallæ tempora ſuperare non poſſe, nec multum infra Conſtantini ætatem demitti. Hæ tamen rationes minimè impediunt, quò minus

Ad Itiner. Anton. noviſſ. edit. Amſt. 1735.

ſimile Itinerarium jam Auguſti ætate confectum eáque ipſa loca inibi inſcripta fuiſſe credi poſſint, quæ poſtea pro rerum ac temporum conditione in aliud Itinerarium quale noſtrum eſt, fuerint transſumpta: quippe jam à Julio Cæſare, & M. Antonio Coſs. uſque ad Conſulatum Auguſti tertium, & ſic ulteriùs orbem terrarum metiri cœptum Æthicus in procœmio teſtatur: *Ergo à Julio Cæſare*, ait, *& M. Antonio Coſſ. orbis terrarum metiri cœpit, id eſt, à Conſulatu ſuprascripti uſque ad Conſulatum Auguſti tertium & Craſſi, annis XXI. menſibus V. diebus IX. Zenodoxo omnis Oriens dimenſus eſt, ſicut inferiùs demonſtratur. A Conſulatu item Julii Cæſaris & M. Antonii uſque in Conſulatum Auguſti decimum annis XXIX. menſibus VIII. diebus X. à Theodoto Septentrionalis pars dimenſa, ùt evidenter oſtenditur. A Conſulatu ſimiliter Julii Cæſaris uſque in Conſulatum Saturni & Cinnæ à Polyclito meridiana pars dimenſa eſt annis XXXII. menſe uno, diebus X. ſicut definita monſtratur. Ac ſic omnis orbis terræ intra annos XXXII. à dimenſoribus peragratus eſt, & de omni ejus continentia perlatum eſt ad Senatum.* Jure igitur jam antiquiſſimis temporibus confecta fuiſſe Itineraria Chronographus Ferrarienſis apud Cl. Muratorium credit. Velſerus quoque affirmare non dubitat, quòd illi, qui principium & Inſtitutum hoc à Julio Cæſare Æthici verbis perſuaſi deducant, id ſe volente faciant, nec urbium poſteriorum appellationes obſtare, cùm ſecutis temporibus pro re nata adjici potuerint. Eruditiſſimus quoque Rollinus in ſua hiſtoria antiqua de Aſtronomia ex Hiſtoriæ Nat. l. 3. c. 2. Plinii aſſeverat Romanos jam à ducentis ferme annis ante Divum Auguſtum orbis terrarum dimenſioni vacâſſe, nempe ſtatim, ac extra Italiam ſuum Imperium protendere cœpêrunt, cùm ii Provinciarum ſubactarum Cenſum & dimenſionem peragere ſolerent. Sed ſufficit mihi Auguſti ævum, & plenum de hac dimenſione Plinii teſtimonium, quodque ibi affert, etiam de Bætica exemplum, *Bæticæ longitudo*, inquit, *nunc à Caſtulonis oppidi fine Gadeis CCCCLX. millia paſſuum, & à Murgi maritima ora XXII. M. paſſ. amplior. Latitudo à Cartejana ora CCXXIV. M. paſs. Agrippam quidem in tanta viri diligentia, prætérque in hoc opere cura orbem cùm terrarum, urbi ſpectandum propoſitúrus eſſet, errâſſe quis credat, & cum eo Divum Auguſtum? Is namque complexam eam porticum ex deſtinatione & Commentariis M. Agrippæ à ſorore ejus inchoatam peregit.* Ex hac porticu igitur tot ſparſa in libro eodem III. Plinii delineata ſunt, & tot ubique

Script. Ital. t. 8. f. 474.

Rer. Aug. l. 3. f. 37.

t. 15. c. 2.

ubique in hoc locorum diſtantiæ & millia paſſuum deſcripta. Idem quod Plinius, alios quoque Romanos egiſſe nemo prudens diffitebitur; quis enim in provincias profecturus, quis uſurus curſu publico ſibi de Itinerario non providet? Equidem de ætate hujus, quod circumfertur, Itinerarii certi quidquam ſtatui haud poteſt; quippe non tantùm MSS. nobis deſunt, quibus inter ſe collatis diſcerni queat, quodnam illorum antiquius ſit, aut emendatius, ſed & hæc ipſa, quæ habemus, nunc Antonium (ùt Codices Blandinianus, Pithœanus, Pariſinus, Voſſianus & alii, imò teſte Schotto plerique veteres) nunc Julium Cæſarem Dictatorem, (ùt Codex Cuſpinianeus) Authores videlicet diverſos Itinerarii præferunt, addito inſuper ad Antonium ubivis *Auguſti* nomine, unde demum vel per errorem Librarii *Antoninus* prodiit, quem exhibent Vaticanus & Regius Suritæ Codex, vel certe Continuator operis pro Authore poſitus eſt; quin enim continuatum ab Imperatoribus ſubſequentibus, imò & pro temporum, urbium recens conditarum aut bellorum ratione immutatum fuerit hoc Itinerarium, nemo eſt, qui dubitet. Suſpicari hîc tamen valde pronum eſt, prima fortè autographa Antonii, Auguſti & Lepidi nomina retuliſſe, cùm omnia iſta ab his acta fuerunt, ùt, præcipuè de Coloniis Author idoneus illius ſæculi, Julius Frontinus aſſerit: *Hoc opus omne arbitratu Octavii Cæſaris* p. 133. *& M. Antonii & M. Lepidi per tres Imperatores actum atque ſignatum eſt.* Ultimi verò nomen quòd ab Auguſto (teſte Plutarcho in Antonio & Suetonio in Auguſto) exauthoratus, ac proſcriptus, aut ab Senatu hoſtis judicatus fuiſſet, de induſtria eraſum, ſi non librariorum negligentiâ ommiſſum, videri poſſet. Hanc Conjecturam ſi quis reſpuat, is ſaltem ea ſpernere vix poterit, quæ tandem in præfatione Simlerus affert, *quòdſi nimirùm nec Julius, aut alii, author* Ad Itin. *non foret, non tamen propterea nihil ad Julium, aut Antoninos hoc opus pertinere cenſeo, ſed exiſtimo, deſcriptionem aliquam regionum & urbium illorum juſſu primùm factam, & poſtea ſæpè mutatam, aut auctam nomen vetus ſervâſſe, ut Julii aut Antonini diceretur;* Nam (ut Cl. Weſſelingii verbîs utamur ac ſententia) *cùm ad curſum vehicularem atque expeditiones militares Itineraria fuerint neceſſaria, habuerintque Romani & itinerum menſores, & Itineraria jam olim, fieri potuit, ut ex eorum numero noſtrum fuerit, quod paulatim, ſicuti in ſimili genere aſſolet, novis urbium titulis locupletatum eſt.*

Ex quibus denique omnibus & ſingulis hoc certò evinci poſſe credimus, multa, imò fortè pleraque à primo etiam, aut certè ſecundo ſæculo eſſe in hoc Itinerario locorum nomina; ab Auguſti proin adhuc ævo reſidua, ipſúmque hoc antiquiſſimum monumentum rebus firmandis apprimè utile ac neceſſarium, quod unanimi authorum conſenſu diſcimus.

Poſt Itinerarium expreſſam Veldidenæ mentionem celebris illa Peutingeriana tabula facit, quæ licèt ferè ex conſenſu Doctorum Theodoſii Junioris primùm ævô confecta fuerit, non tamen ea prima cenſenda eſt; ex Manuſcripto enim Bibliothecæ Auguſtanæ Co-
p. 41. dice apud Raderum in hujus Imperatoris aula ſancta certò conſtat, orbem terrarum ita jam priùs, fuiſſe dimenſum; ſic enim verſus 10. & 11. refert:

In melius reparemus opus, culpámque priorem
Tollimus, ac totum breviter comprendimus orbem.

Imò hiſce Tabulis jam Græci uſi fuerant, ut Herodotus de Ariſtagora, Ælianus de Socrate, & Laërtius de Theophraſte teſtantur. Strabo quoque poſt Homerum jam in Græcia eas confectas fuiſſe
l. 1. c. 1. R. R. commemorat. Apud Romanos inſuper jam Varro talem viderat, ut Propertium, Vitruvium & Plinium, Plutarchum, Florum, Suetonium taceam, quorum teſtimonia brevitatis cauſa prætereo, ex quibus omnibus certum mihi fit, hanc ſuperſtitem tabulam longè antiquiorem, & florentibus haud dubiè olim Romanorum rebus delineatæ exemplum eſſe, ac proin inſerta ibi loca antiquiſſima pariter cenſeri poſſe.

Itinerario & Tabulæ Peutingerianæ demum etiam Illuſtris illa *utriuſque Imperii Notitia* jungitur, quam tamen Viri eruditi unanimi conſenſu Theodoſii pariter Junioris temporibus adjudicant, & fere ultimum eſſe exſpirantis paulò poſt Romanæ Majeſtatis ac amplitudinis monumentum affirmant. Hæc de reſiduis quidem illô adhuc ævô urbibus locíſque inclytis fidem facit indubiam, de Veldidena verò locus ejuſdem perobſcurus eſt, haudquaquam tamen, ùt mihi videtur, negligendus: Volui igitur & hujus incertum teſtimonium certis Itinerarii & Tabulæ adjungere; Cùm & Notitia cum tabula ejuſdem ſit ævi, atque ex hac & Itinerario multùm illuſtrari ſoleat,

de

de quibus ſingulis, quantùm ad Veldidenam faciunt, mox ordine pandam, reliquis probationum monumentis in aptiorem interim locum ſepoſitis.

CAPUT V.

Quomodo ex Itinerario Antonini.

POſtquàm igitur, quæ præmittenda eſſe diximus, executi ſumus, pededentim ad opus ipſum accingere nos oportet. Diximus paulò ante, claram Veldidenæ mentionem, & quidem cum præſtantia quadam in Itinerario fieri: Videamus igitur, quomodò fidem liberemus: Et en! poſt deſcriptas Pannoniæ & Norici vias, imò in media Norici totius Metropoli in conſpectum venit:

ITER A LAURIACO VELDIDENA.	M. P. CCLXVI. ſic.
OVILABIS	M. P. XX.
LACIACO	M. P. XXXII.
IOVAVI	M. P. XXVIII.
BIDAIO	M. P. XXXIII.
PONTE AENI	M. P. XVIII.
ISINISCA	M. P. XX.
AMBRE	M. P. XXXII.
AD PONTES TESSENIOS	M. P. XL.
PARTHANO	M. P. XX.
VELDIDENA	M. P. XXIII.

Poſt hanc Norici Metropolim nobilem alteram in hac provincia urbem videmus, à qua iterùm Veldidenam via dirigitur, à Ponte Aeni nempe, ùt ſequitur:

ITER

ITER A PONTE AENI VELDIDENA.	M. P. XC. ſic.
ALBIANO	M. P. XXXVIII.
MASCIACO	M. P. XXVI.
VELDIDENA	M. P. XXVI.

Tertia demum directio ab urbe nobiliſſima atque una inter Imperii Romani Principes, ibi hiſce legitur:

ITER AB AQUILEIA PER COMPENDIUM VELDIDENA.	M. P. CC. XV. ſic.
AD TRICENTESIMUM	M. P. XX.
IULIA CARNICO	M. P. XXX.
LONCIO	M. P. XXII.
AGUNTO	M. P. XVIII.
LITTAMO	M. P. XXIII.
SEBATO	M. P. XXIII.
VIPITENO	M. P. XXXIII.
VELDIDENA	M. P. XXXVI.

Ex hac triplici mentione Veldidenæ, & quòd in omnibus pro termino fuerit aſſignata, nobilem hanc fuiſſe viri doctiſſimi contendunt; imò aliqui Rhætiæ Principem ſe deprehendiſſe credidêrunt, ùt c. 1. pluribus executi ſumus, ubi nimirum Surita Veldidenam *nobilem manſionem: alicujus nominis, celebritatiſque locum*, Cluverius, Cellarius *antiquam urbem: Magni nominis & celebritatis* Lambecius: Cl. Maſcovius diſertè *Caput Provinciæ* compellat; Cui alio in loco etiam Cellarius adſtipulatur, ubi enim Curiam Caput Rhætiæ primæ feciſſe Velſerum refert, mox addit: *at plura itinera per Rhætiam ducuntur Veldidenam, à Lauriaco, à Ponte Oeni inferiore, ab Aquileja - - - - ut vel eo nomine Veldidena præferri poſſit.* Cæterùm rem gratam nobis præſtitiſſent viri hi doctiſſimi, ſi etiam uberiorem aſſerti hujus rationem reddidiſſent, quam puto, in hoc præcipuè verſari, ut certa quædam convenientia & ſimilitudo inter horum itinerum Capita ac terminos probetur, velut ſi dicerem, Capita ſeu Directiones viarum fuêrunt ſatìs nobiles, non decet proin illis terminos ſtatuere minùs celebres, aut omnino ignobiles. Congeſſi

Geogr. antiq. l. 2. c. 7. §. 34.

in

in hunc finem multîs aliquando foliis, quidquid illuſtre de his Capitibus inveni, quæ tamen hîc paucis dare meliùs conſtitui: Et inprimis quidem de Laureaco, quod Colonia Auguſti fuerit, qualem lecto rite poſt Lipſium lapide Cl. P. Hanſizius probè adſtruxit, ni- Germ. S. hílque obeſſe, quòd ejuſdem nec Plinius, nec Ptolomæus memine- T. 1. f. 3. rit, cùm prior aut compendium ſecutus ſit, aut propiora, Italíſque notiora recenſuerit, quòd ex oblivione ſuô locô Coloniæ Celeberrimæ Carnunti pateſcat, hócque indicio ſit, in recenſendis provinciarum oppidis non uſquequaque curioſum fuiſſe. Nec Veldidenam duntaxat ab hac, Lauriaco nempe, ceu Capite dirigi in eodem Itinerario itinera, ſed etiam Auguſtam Vindelicam & Brigantiam urbes utique nobiliſſimas legentibus conſtat, utì & in utriuſque Imperii Notitia adſcriptum huic loco eſſe Præfectum Legionis III. Præfectum Claſſis Lauriacenſis, & Magiſtrum Officiorum Fabricæ in Illyrico Laureacenſis, & Lancearios Laureacenſes &c. Ut Metropolim olim fuiſſe totius Norici Eccleſiaſticam ſubticeam, quæ aliáque decora in primo Cl. Hanſizii tomo, atque apud Geographos alios affatim inveniuntur.

Altera ùt vidimus, in Norico Civitas Illuſtris, unde Veldidenam ibatur, Pons Oeni fuit, Oettinga vetus & nova, quemadmodùm Aventino, Velſero, Lazio, Irenico & pleriſque Scriptoribus Boicis in hac re utique peritioribus meritò viſum, ídque Aventinus peculiari etiam libello perfecit, amplitudinem verò eleganter Jacobus Irſing S. J. in ſuo de Oettingana Virgine libello deſcripſit. Ea- à p. 1. dem in eodem rurſus Itinerario non tantùm pro Capite Veldidenam, ſed etiam ad Caſtra aſſignatur. In Notitia inſuper Equites Stableſianos Juniores ibidem commoratos fuiſſe invenio.

Caput demum Directionis tertium Aquileja fuit urbs longè Geogr. omnium celebratiſſima, quam à Romanis conditam munitionis lo- l. 5. co contra habitantes ſuprà Barbaros, & emporium fuiſſe Strabo, Co- l. 39. 55. loniam Latinam Livius, Vellejus Paterculus, Plinius & Ptolomæus, l. 3. l. 1. c. 19. urbem opulentam Mela, Felicem Martialis l. 4. ep. 25. Auguſti ipſius l. 3. c. 1. præſentiâ nobilitatam Suetonius aſſerit *Aquilejam ab urbe uſque pro-* l. 2. c. 3. *gredientis*, Herodianus *maximam & ingentis magnitudinis* compellat. l. 8. c. 2. In Itinerario pro Capite præterea Salonas, Siſciam, Bononiam, & in Hieroſolymitano Sirmium uſque præſcribitur: In qua teſte Notitia Præpoſitus Militum Præſentalium, & Præfectus Claſſis, & Pro-

curator Monetæ Aquilejenſis ſedem fixit; verbô rem omnem ab-
t.2.f.629. ſolvit perantiquus apud Schelſtratenum Geographus: *Italiæ verò Civitates, & aliæ claræ ſunt, puta Aquileja & Mediolanum.* Sed juſtô longior eſſem, ſi pro dignitate de tanta urbe verba facerem, geſta præcipuè ibidem Sæculi III. & IV. narraturus, ſi Coloniæ memoriam, Deos locales, & Magiſtratus fuſiùs recenſerem; abſolvit me hoc labore Illuſtriſſimus Marchio Maffejus in Verona ſua P. 1. f. 201. ac Doctiſſimus Præſul Philippus à Turre in ſuis de Beleno, & reliquis Deorum Aquilejenſium monumentis, ac recentiſſimè etiam Clariſſimus ibidem Canonicus Dominicus Bertoli, innumeris ferè, quas de hac urbe collegit, antiquitatibus integro volumine deſcriptis.

Quibûs omnibûs rite penſitatis utique indignum videri poſſet, tam Illuſtribus Directionum Capitibus pro termino locum aliquem ignobilem ponere, cùm ex verbis S. Hilarii Pictavienſis colligi pronum ſit, talibus itinerum terminis non manſiones, oppidáve, ſed
In Pſalm. 118. edit. Baſ. de A. 1553. f. 363. potiùs urbes reſpondiſſe, verba S. Patris hæc ſunt: *Nam in communibus & terrenis viis legem meminimus eſſe in ſpatiis menſuras: cùm paſſuum mille intervalla quædam legis, viæ ſigna ſtatuuntur, cùm manſionum requies diſponitur, cum uſque ad Urbem refectione viantium congrua rurſum manſionum intervalla dimenſa ſunt.* Quibûs utique verbis pro termino urbem fere ubivis aſſignatam fuiſſe ſanctus hic Præſul innuere videtur; ſub nomine urbis autem inſignem aliquem locum intelligi vel ex eo patet, quòd Plinius celeberrimas & maximas urbes tantùm oppida, & ſolam Romam urbem compellet, quam tamen hîc intellectam eſſe non putamus, cùm illô ævô jam Conſtantinopolis ſedes Imperii fuerit, & reliquæ magnæ urbes contra ſtylum illius ſæculi tantùm manſiones appellandæ fuiſſent.

CAPUT VI.

Ex Tabula Peutingeriana.

ITinerario, quod Antonini vulgari audit nomine, jungere ſolent Geographiæ antiquioris periti Tabulam illam, quam ab Inventore, non verò Authore (qui neſcitur) Peutingerianam, à loco, ubi

ubi inventa eſt, Auguſtanam, à tempore verò, quô communiter confecta creditur, Theodoſianam vocitant. Ex utroque iſto quantivis pretii monumento, cui par in hoc genere nihil, nihil ſecundum tranſmiſit antiquitas (ùt magnificè omnino loquitur primus editor Anonymus apud Muretum) nobiliora loca omnia, quæ ad vias Romanorum militares ſita ſunt, ediſcimus. Cùm igitur Veldidena ad veterem illam viam Regiam Itinerario teſte ſit poſita, certum quoque fit, in Tabula neceſſariò reperiri debere, cùm hæc ex Conſenſu Doctorum, imo oculari in Bibliotheca Regia Vindobonenſi inſpectione nil ſit aliud, quàm Volumen membranaceum latitudine pedem circiter unum exæquans, longitudine pelliculis ſcitè conglutinatis pedum viginti duorum menſuram ferè ſuperans, ac totius Imperii Romani vias publicas ac militares cum locis adjacentibus, ſpatiiſque intermediis adſcriptis exhibens. Verùm fruſtra in hac Tabula Veldidenæ nomen expreſſum quærimus, nec illius veſtigium inveniremus, niſi ex inſtituenda cum Itinerario comparatione appoſitáque locorum aliunde notorum diſtantia vel vicinia noſceretur; Tacent quidem communiter Geographi, tacent Cluverius, Cellarius, & Ferrarius, imo ipſi etiam tabulæ hujus Interpretes; ſed res ex ipſa nominis mutatione plana fit, poſteaquam magno noſtro bono Cluverius (quin Veldidenæ mentionem fecerit) Tabulam hanc cum Itinerario, itinere nimirum *Auguſta Veronam* ſic contulit:

Tabula Peutingeriana.		*Antonini Itinerarium.*	
Auguſta Vindelicûm		Auguſta Vindelicûm	
Ad Novas		|	
Avodiaco		Abuzaco	XXXVI.
Coveliacas		|	
Tarteno	XX.	Parthano	XXX.
Scarbia	XI.	|	
Vetonina	XVIII.	Veldidana	XXX.
Matrejo	XVIII.	|	
Vepiteno	XX.	Vipiteno	XXXVI.

Ital. antiq. l. 1. f. 122. & 344.

Sublabione	XXXV.	Sublavione	XXXII.
Ponte Druſi	XIII.	|	
|		Endide	XXIIII.
Tridente	XL.	Tridento	XXIIII.
Sarnis	XX.	|	
|		Ad Palatium	XXIIII.
Vennum	XXIIII.	|	
Verona	XVIII.	Verona	XXXVI.

Vides hîc Veldidenam Vetoninam dici cujus etymologiam nominis nemo facilè hariolabitur: Sed notabunt hîc forte aliqui, inter Scarbiam & Matrejum nihil aliud in hac tabula, quàm ſolum nomen VETONINA adſcriptum inveniri: neque ad exemplum Celebriorum aliàs in hac ipſa Tabula urbium turres ſaltem binas, murósque depictos cerni, utpote quibus ſolis loci cujuſdam præſtantia deſignetur, quod Cellarius in Atuaca p. 274. in Novomago Batavorum p. 279. Faliatis in Mœſia p. 460. Præneſte in Italia p. 688. Et denique Sebaſtia in Ponto ac pluribus aliis ſagaciter deprehendit: Imò Tridentum longè nobiliorem videri urbem, cùm inſtar Auguſtæ, Veronæ, Ticini, Mediolani, duabus turribus expreſſa ſit. Verùm & his ſatisfacturum me puto, ſi nihil obſtare hanc ſimplicem ſcripturam Nobilitati Veldidenæ docuero, ídque aut errore, aut ex compoſito ita factum comprobavero: Animadvertant enim hi præprimìs velim, Tabulam hanc tum Anonymo, qui vidit, tum Cl. Lottero, qui ſingulari illam diſſertatione illuſtrans ab illis, qui viderant, ſcire potuit, aut vidit ipſe, totam quantam iis conſcriptam Characteribus, quæ ad Sæculum VI. aut VII. pertinent (quas primus Editor Anonymus, malè Longobardicas in præfatione dixit, quales tamen Litteræ, ùt Illuſtriſſimus Maffejus in Verona illuſtrata, & in Hiſtoria Theologica ſolidè oſtendit, nunquam fuêre.) In eadem rurſus tabula quamplurima admodùm depravata, erroribúſque Librarii plena reperiri: atque eapropter difficulter ante ſæculum ſextum aut omnino ſeptimum exaratam fuiſſe etiam ex his fit credibile. Eandem igitur hujus tabulæ originem & ſortem fuiſſe credere pronum eſt, qualem Itinerario adſcripſimus; ſimiles nimirum tabulas antiquioribus & proſperis, adhuc Romanorum rebus confectas eſſe,

Orb. Ant. t. 1. t. 2.

p. 14.

P. 1. p. 322.

In App. p. 60.

ſe, dein verò interpolatas, & partim adſcriptis novis urbibus pro rerum circumſtantiis, uſque ad Theodoſii ævum poſt extinctum Gratianum durâſſe aliquas, ex quibus hæc, quæ ſola ſupereſt, ſequiori ævo exſcripta ſit. Hæc ut aſſerere auderem, movent me præprimis illa ipſa loca noſtra paulò ante curatiùs excuſſa, Laureacum ſcilicet, Pons Oeni, Aquileja, ut de aliis taceam, domeſticîs veluti argumentîs contentus. Viam enim inter alia principem noſtram Aquilejâ per compendium ac partem Norici Veldidenam omiſit, contenta, illam alteram ab Opitergio Tridentum ſuum annectere; Non Lauriacum Norici Metropolim, quod *Blaboriacum*, non Pontem Oeni, urbem olim ampliſſimam, quam ad *Enum* vocat, charactere aliquo nobiliori ſignavit: rationem hîc aliam ſubeſſe non puto, quàm quòd illæ ab irruentibus barbaris jam à multo tempore deletæ fuerint: De Lauriaco fidem Velſerus facit ab Anno Domini 468. ab Hunnis everſam fuiſſe, urbes verò vicinas, totámque Boicam multis ſæculis eorum excurſionibus & latrociniis vaſtatam, ut adeò & Pontem Oeni immunem perſtitiſſe nemo prudens ſibi perſuaſerit. Quapropter mirum haud ulli videbitur, ſi etiam Veldidenam noſtram, jam ante Laureacum (ùt infra docebimus) circa annum nimirùm ſalutis 452. ab immiſſis per Attilam, dum Aquilejam obſidebat, per compendium Veldidenam, aut Tridentino Itinere copiis, deſtructam, nullâ omnino notâ ab aliis diſtinxerit; tempore enim D. Gregorii Turonenſis & Venantii Fortunati (ſæculo ſcilicet ſexto jamjam adulto) non urbs ampliùs Veldidena, ſed jam *Caſtrum apud Brionas fuit, in quo templum Divi Laurentii per incuriam longinqui temporis valde detectum*, (ùt loquitur S. Pater) per exiguitatem vix reſtaurari potuit, quod tandem, & per prodigium factum, ùt in fine pluribus differemus. Quòd autem Auguſtam Vindelicûm binîs turribus nobilitaverit, non moror, nam etſi ea urbs, teſte Duumviro ſuo Velſero, Attilæ furorem non evaſerit, mox tamen, ùt plerumque urbibus limitaneis & emporiis contingit, reparatam fuiſſe ex Venantio Fortunato ſuſpicor, qui Celebrem inibi D. Afræ Cultum innuit, urbemque *Auguſtam*, de qua nobis ſermo, inter Virdonem Lycúmque ſitam, non ejus rudera commemorat: atque hanc pariter cauſam eſſe reor, quòd Aquileja in tabula depicta ſit:

Rer. Boic. f. 98.

Rer. Vind. l. 8.

Mœnibus & portu Celeberrima.

Auſon. Vineti. n. 203.

Nam licèt ab Attila destructa fuerit, paulatim tamen, ut Inclytis emporiis, quale jam Strabo fecit, fieri amat, ex cineribus reviviscere & in sedem Patriarchalem assurgere cœpit: circa medium enim sæculi VI. centum circiter, ex quo cladem Attilæ perpessa est, annis de ea Justinianus Imperator dixit: *urbem esse Occidentis maximam, sæpiùs ab Imperatoribus habitatam*, ùt ritè hunc textum ex Græco legit Illustrissimus Scipio Maffejus, & licet intellexisse tempus ante Attilam ex his verbis Justinianus videatur, nisi tamen restaurata fuisset, potiùs dicere debuisset, olim talem fuisse ac tantam, non verò adhuc *esse maximam*. Denique etiam Tridentum urbem binis turribus illustrem afferunt: ast neque in hac multùm hæsito, nam, quemadmodùm jam dixi, Exscriptor tabulæ, Librarius VI. VII. aut forte etiam VIII. sæculi fuit, cui Celebris illa ætate videri poterat urbs Tridentina, utpote quæ Longobardis tunc in Italia dominantibus una ex Regiis Ducum hujus gentis fuerat, ex quibus Evinus, Gaidoaldus & Alachis Paulo Diacono, Husingus Ariboni memoratur. Dein si singulare quidquam ex hac Tridenti prærogativa velis eruere, illud fortè eveniet, hanc urbem, cùm sola sic delineata compareat, urbem Regionis totius, Rhætiæ nimirùm Principem fuisse, ipsi Augustæ Vindelicorum, ùt figurâ, sic dignitate parem, quod nec ipsi Scriptores Tridentini unquam dixêre, nobísque aliis insuper ex rationibus non constare, palam suô locô faciemus.

In præfat. Nov. 29. Veron. Illustr. p. 1. p. 201.

CAPUT VII.

Ex Notitia utriusque Imperii.

NOn imparem Authoritate Itinerario aut Tabulæ celebrem illam Notitiam utriusque Imperii vivente adhuc Theodosio M. circa finem Sæculi IV. aut certè ad initium quinti sub Juniore conscriptam, atque hinc Tabulæ Autographæ coævam censent Eruditi, quam meritò pretiosum documentum Illustrissimus Maffejus, Nobilissimum Codicem Cl. Caryophylus compellat: accuratum verò ejus ordinem Cellarius allatis etiam exemplis comprobat. Conti-

Veron. ill. f. 154. In therm. Hercul. Orb. antiq. P. 1. p. 258.

Continet autem hæc Notitia systema totius Orientis & Occidentis Imperii, instar illius libelli, quem teste Dione Augustus Pisoni tradidit, *in quem exercituum & redituum publicorum ordinem descripserat*, aut Breviarii illius ejusdem Augusti, *quantum militum sub signis ubique esset*, aut libelli Tiberii *quantùm Civium Sociorúmque in armis.* Hinc & breviarium Theodosii Alciatus compellavit, ut adeò etiam hujus Notitiæ exordium seu methodum, usúmque Augusti ævo cum Pancirollo non immeritò quis posset adscribere, quæ dein pariter pro ratione temporum, principúmque mutata fuerit. l. 53. p. 517. Suet. in Aug. c. 101. Tac. Ann. 11.

Si ergo, ùt contendimus, locus tam nobilis Veldidena fuit, citra dubium in hoc systemate, ubi, quidquid urbium, locorúmque eximium in Romano Imperio fuit, comprehenditur, erit inserta? sed frustra revolvebam hunc insignem laterculum, nullibi Veldidenam, Vetoninam nullibi invenire poteram, donec excussis Rhætiæ utriusque locis omnibus aliquid modicæ, & adhuc satis obscuræ lucis in figuris X. locorum sub Duce Rhætiæ primæ & secundæ, ejúsque Insignibus deprehendisse aliquid mihi visus sum, dum in Rhætiæ I. & II. depictis castris ac mansionibus primo statim loco ac ordine bina veluti Munimenta majori ambitu & decore præ cæteris insignita conspexeram, quorum priori *Augustanis*, alteri *Phibianis* inscriptum legitur. Sub Augustanis autem Augustam Vindeliciæ, seu, ùt vocat Notitia, Rhætiæ secundæ Caput, & urbem principem intelligi contra infirmas aliorum conjecturas cum scientissimo hujus Notitiæ Interprete Pancirollo arbitror, sub alio enim hîc in Notitia utriusque Rhætiæ descripto, aut depicto loco delitescere nemo somniavit hactenus: comprehendi autem in Rhætia I. & II. urbem Principem Limitaneam, & antiquissimam Augusti Coloniam debere, quibus prudens assentietur; cùm imperceptibile sit, talem locum sinè militibus fuisse: si autem milites habuit Augusta, utique Notitia, quæ omnes omnino & locorum etiam omnium milites recenset, hos non omisisset. Et si ab Augusti jam ævo habuit, ùt Epitaphia complura apud Velserum loquuntur, cur irruentibus sub Notitiæ tempus tot barbaris demiserit? sub Augustanis igitur Augustam debere intelligi ne dubitare quidem ausim. Hîs jam ritè præmunitîs indagandum nobis est, qualem ex Phibianis locum exsculpant Interpretes, ac Geographi reliqui. Agathodæmon, qui teste Cellario Geographicas Ptolomæi rationes in tabulas digessit, ad Lycum f. m. 172. l. 3. In præf. orb. antiq.

cum non procul ab ejus in Danubium ostiis ponit pauculîs ab Augusta Vindelicûm horis: Pancirollus hôc titulô longiùs & ultra Danubium removet: Ptolomæi Glossator Anonymus *Pheniana*, inquit, nunc *Laubianum* appellant: Gerardus Mercator in Ptolomæi sui eleganti editione Belgica *Bebenhusium seu Babenhausen* interpretatur: Cluverius in sua Vindeliciæ ac Norici tabula è Regione Augustæ ad Guntiam fluvium ponit, eundemque locum censet, qui Ptolomæo *Phœniana*, Notitiæ *Piniana* & *Phebiana* est: atque cum Rhenano *Babenhausen* ad Guntiam amnem interpretatur, addens tamen, *at de situ ejus nihil liquet.* Beatus Rhenanus Castra Augustana & *Phebiana* jungit, *per Augustana Castra*, inquit, *Augustam* (Augspurg) *accipio, quam primariam Rhætiæ Superioris urbem fuisse non ambigo - - - - - Alemannis Metropolis posteriùs dicta est, quando hæc gens primam Rhætiam occupavit. Cæterùm Phæbiana Castra arbitror Allemannis in Bebenhusium* (Babenhausen) *versa apud Clarissimum Ptolomæum Pheniana legimus* &c. Jacobus Otto in uberrimo ad Rhenanum commentario non procul Laugingiaco fuisse, ubi nunc pagus est Joiningen opinatur, nisi *Babenhausen* restituendum sit, aut secundùm alios Burgau: Eadem prorsus Hoffmannus in suo Lexico tradit, incertum, an ex Ottone, an hic ex illo hauserit, apertè enim unus alterum citat. Ferrarius *Febiana* & *Phæbiana* vel *Phæniana* Ptolomæo, Pyramio *Bebenhausen*, aliis *Laugingam* dici affirmat, cui ibi Baudranus adstipulatur, addens tamen, aliis & meliùs *Burgavium* videri: omnium brevissimè Cellarius suam hac de re mentem explicavit: *Phæbianis*, ait, *quæ doctis videntur esse Babenhausen.* Quin vel verbulum addat, num huic sententiæ suum addat, demátve calculum: Velserus cùm ubi tutò pedem figeret, non inveniret solum satis congruum, de Phæbianis velut ex composito silet. Inter hos ipsos Aventinum maximè miror, quòd ille in condendis aliàs, explicandisque Vindeliciæ locis plus æquô audax in omni Etymologia nil affine invenerit, aut exsculpserit: Ex his tamen varia in rem meam eruo, & inprimis quidem locum hunc diversîs omnino modîs in Notitia, Ptolomæo, & à Librariis scriptum descriptúmque deprehendo; In Notitia enim mea ad figuras *Phibianis* contextus *Febianis* habet, Mercatoris Ptolomæus *Piniana*, Pancirolli *Pheniana*, Cluverii *Phæniana*, Ferrarii *Phæbiana*. De loco pariter ingens discordia inter Authores, ùt audivimus, viget: Pancirollus cum Ferrario *Laubianum*

Rer. Germ. edit. Ulm. 1693. p. 637.

p. 638.

f. 257.

l. 2. c. 7. p. 417.

num seu *Lavinganum*, Mercator, Cluverius & Beatus Rhenanus cum Pyramio *Bebenhusium*, Jacobus Otto *Foinganum* aut *Burgovium* cum Baudrano faciunt, rationem nemo unus addit, Cluverius de situ non constare dicit, Cellarius autem omnino nihil decidit. Imò ut rem dicam, multi sine ulteriori Examine locum ad trutinam non vocantes alios sine hæsitatione aut secuti sunt, aut litem declinârunt; Agathodæmon tamen plerosque excusare videri posset, eò quòd in tabula Geographica Rhætiæ, Norici & Vindeliciæ illam ùt diximus in hac (Vindelicia nimirùm) locaverit, & quamquàm Cellarius monuerit, quòd sit presse secutus Authorem suum, tantúmque habeat fidei, quantùm ipse habeat Ptolomæus, in Phæbianis tamen excusandus non est, cùm Rhætiæ illam Ptolomæus indubiè adscripserit, Agathodæmon verò in Vindelicia hanc urbem posuerit: nisi dicere velis cum Cellario, nec Ptolomæum (& hinc nec Agathodæmonem) Rhætica & Vindelicia probè distinxisse: *Ptolomæi rationes*, inquit, *ut ejus trans Alpes sunt pleraque, etiam inalpina, turbatiores sunt.* Veniam igitur mihi à tantis Viris exoro, quòd eorum vestigiis haud insistam, cùm eorum nemo unus convenientem opinionibus suis rationem exhibeat; alia igitur via mihi ineunda est, ut illud saltem, quod firmiorî nitatur conjecturâ, assequi valeam. In præf. p. 413.

Notandum igitur nobis præ cæteris est, locum *Phibianis* inter delineatas in Notitia urbes & mansiones ad latus *Augustanis* eadem forma ac amplitudine esse depictum. Sub *Augustanis* autem Augustam Vindelicûm totius Regionis Principem, ac Rhætiæ secundæ Metropolim intelligi paulò ante asseruimus: quidsi autem è regione sub Phibianis urbs princeps Rhætiæ I. latitaret? par certè ejusdem forma est, par Majestas, imò *Phæbiana* in Rhætia collocavit Ptolomæus, quam à Vindelicia gnaviter distinxit, cur igitur in Vindelicia quæramus, cur urbem principem diversam non procul alterius principis Augustæ locemus? atque uni eidémque provinciæ bina concedamus capita eodem ævo, in eadem vicinia, iisdémque insuper prærogativis? hoc fidem planè omnem superat. Ad exemplum igitur aliorum in Agathodæmone locorum, quæ ille in Rhætia II. seu Vindelicia erroneè posuit, Taxgætium nempe, Ebodurum, & Drusomagum, quarum olim primum Viri docti *Rottwilam*, aut *Riedlingam*, alterum, quod inter Brigantium & Lycum ille medium statuit, ac tertium Drusomagum nempe, quod *Memingam*, alii verò

Campidonam Civitates volunt: nunc verò ex his binas Scriptores Rhætici apertè sibi vindicârunt, atque *Tavetschium Curiam* esse contendunt, tertium verò Cellarius expressîs verbîs nobis adjudicat, dum ait: *monumentum ex illo bello posteriorî etiam ævô, Pons Drusi, ùti in Theodosiana Tabula vocatur, inter Sublabionem & Tridentem situs, qui videtur Ptolomæi Drusomagus esse, quam ipse in Rhætia quidem ad fines Vindelicie collocavit.* Ad exemplum, inquam, horum locorum & nobis, Rhætiæ nimirum primæ Caput, *Phæniana* & locum principem vindicemus, qui alius præter Veldidenam ob tot illuc concurrentes Itinerum Directiones esse vix poterit: nec credibile enim fit, urbem tam nobilem & ob viarum commoda tam celebrem milites non habuisse, cùm minùs clara Civitas Teriolis tales, & complures habuerit: imò in Notitia omnino omissum fuisse, aut omitti potuisse neutiquam censeo. Neque obest in nomine illi cum Veldidena non convenire; nam & nomen Vetonina cum Veldidena non congruit, & tamen præter dubium Veldidena est, ùt comparatio docuit, quod & nemo Eruditorum hactenus aut negavit, aut negare potuit: namque ex tot mutationibus paulò ante adductis meritò colligitur, hunc in Notitia locum nostrum immunem à Librariorum erroribus ad nos non perveniisse, neque urbi tam nobili, aut præsidio militari aptior alius in Rhætia, quò ipso Ptolomæo asserente pertinet, assignari poterit. Addo, non obstare, quòd *Phæniana* sub Danubio posuerit Ptolomæus & Agathodæmon, cùm & Danubium per multa divisum Capita in his (Rhæticis) Alpibus, oriri Strabo, qui græcè scripsit, imò Herodotus & Aristoteles, qui Græcus & ipse, in Pyrenæo seu Brennero nostro nasci dixerint, ex quibus fortasse tam Ptolomæus quàm Agathodæmon complura hausêrunt, & sic utique ad unum ex fontibus Danubii Phæniana Castra sita reperissent hi ambo, ad Oenum nempe, quem adductîs etiam rationibûs Danubii fontem esse non omnino ineptè asseri posse Scheuchzerus putat. Si cui hæc sensa displiceant, illi respondebit adhuc semel Cellarius, in Vindelicia repetens: *Ptolomæi loca, ùt solent, perturbata hîc nimis sunt:* quia ipse Notitiæ Author homo Græcus (Nardino teste) Constantinopolitanarum Regionum situs exactissimâ quidem diligentiâ, non item Romanas notavit, hinc pariter mirum non est, quòd Augustam Vindelicorum Rhætiæ II. Caput, Veldidenæ Rhætiæ I. Capiti præposuerit, cùm Imperatores Orientis

Diss. 7. p. 557. de Druso &c.

l. 3.

l. 1. Meteor. c. 13.

Hydrograph. Helv. p. 31.

Rom. vet. f. 115.

rientis plùs urbes limitaneas curare & militibus operibúſque illô ævô munire neceſſum habuerint: ut taceam, ibi inſuper tunc temporis Præpoſitum theſaurorum ſedem habuiſſe, qualis nullus Veldidenæ fuiſſe legitur.

Si demum (namque & hoc opponere poſſunt) de his omnibus locis, nominibúſque Romanos Scriptores altùm ſilere referant, id mirari me minimè ajo, cùm res Rhæticæ in Livio, imò in ejus Epitomatore (nam Caput inſertum non invenitur in MSS.) & libri XX. Bellorum Germaniæ Plinii Majoris perierint: Strabo inſuper teſte Hoppero ad Ægydium Tſchudum Alpinas gentes, præcipuè Rhætos non viderit, Plinius vero ac Tacitus oculati aliàs teſtes jejunè hæc omnia tradiderint. Cæterùm ſi tamen omnia hæc minùs excuſſa aut firmata acriter quis obfirmatô animô rejiciat, is ſciat, me hiſce allatis colophonem addere Scriptioni haud velle, ſed alia adhuc mihi ſupereſſe Veldidenæ nobilitandæ monumenta. In præf. ad Strab.

CAPUT VIII.

An ſuis in Itinerario Directionum urbibus ætate par fuerit Veldidena.

INtelleximus paulò ante in Itinerario Antonini ab urbibus Laureaco, Ponte Oeni, & Aquileja vias regias, militares, ac principes velut ad terminum dirigi, atque hinc tres has urbes Directionum Capita Veldidenam verſus à nobis vocari fas erit, utì & Veldidenam terminum: ſolet enim hoc Itinerarium enumerare vias & manſiones intermedias cum ſuis diſtantiis plerumque ab uno aliquo loco principe, quod ideò Caput, ad aliud tanquam ultimum, quod terminum nominamus, dirigere. Hæc igitur Capita, ſi ex antiquioribus Romæ, Gentium Dominæ, urbibus fuerint, etiam pro Veldidena militare mox oſtendemus. In more namque poſitum Romanis jam à primis Reipublicæ temporibus fuerat, devictîs gentibûs Coloniarum vincula injicere; teſte enim Seneca: *Populus Romanus,* Conſol. ad Helv. f. m. 808.

manus, quas Colonias in omnes provincias miſit, ubicunque vicit Romanus, habitat. Rationes politicas Siculus Flaccus affert: *Regiones autem dicimus, in quorum fines ſingularum Coloniarum, aut municipiorum Magiſtratibus jus dicendi exercendique eſt libera poteſtas. Ergo hæc vocabula non ſine cauſa acciderunt, quidam enim populi pertinaciter adversùs Romanos bella geſſêrunt, quidam experti virtutem eorum, ſervavêrunt pacem, quidam cognitâ fide & juſtitiâ eorum ſe eis addixêrunt, & frequenter adverſus hoſtes eorum arma tulêrunt, leges itaque pro ſuo quiſque merito accepêrunt, neque enim erat juſtum his, qui toties admiſſô perjuriô rupêre pacem, ac bellum intulêre Romanis, idem præſtare, quod fidelibus populis. Primùm ergò referendum eſt, appellationes ut fierent Municipii, Coloniæ, aut Præfecturæ, municipia quidem putant à munitionibus dicta, alii à munificentia, eò quòd municipiæ eſſent Civitates, Coloniæ inde dictæ ſunt, quòd populi Romani in ea municipia miſerint Colonos, vel ad ipſos priores municipiorum populos exercendos, vel hoſtium incurſus repellendos.* Exemplum rei de loco quodam ſingulari nobis Tacitus ſubminiſtrat: *Silurum gens*, inquit, *non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret, Caſtríſque Legionum premenda foret; Id quò promptiùs veniret Colonia Camelodunum valida veterum Romanorum manu deducitur in agros captivos ſubſidium adverſus rebelles, & imbuendis ſociis ad officia Legum.* Quam ſubacti proin non injuriâ vocârunt *arcem æternæ dominationis: & ſedem ſervitutis.* Ubi igitur Auguſtus teſte Paterculo *Rhætiam, & Vindelicos ac Noricos, Pannoniámque & Scordiſcos novas Imperio noſtro ſubjecit provincias*, in his etiam Colonias deduxiſſe nemo dubitat, talem in Norico Laureacum ab Auguſti jam ævo fuiſſe ex Lapide Romano rite lecto, tacentibus licèt Scriptoribus Romanis didicimus, imò in ipſo Laureacenſi versùs Veldidenam via de manſionibus intermediis binæ etſi poſterioris ævi occurrunt Coloniæ, Aurelia Antoniniana nimirum Ovilaris, & Ælia Hadriania Juvavia, ex ſolis iterùm Lapidibus notæ. De Capite quidem altero Oeniponte, Oetinga nimirum veteri omnis cæteroquin ſilet antiquitas, ſola traditio, & hinc inde murorum ac foſſarum ſigna urbem minimè ignobilem, & certè Auguſtæo illo, ac primô reparatæ ſalutis ævô clariſſimam vicinorum locorum conferti lapides adſtruunt, ſi autem intermediæ ignobiliores tantæ dignitatis fuêre, ut Coloniæ Hadriani & M. Aurelii audierint, quis urbi Illuſtriori hanc ipſam, aut majorem etiam antiquitatem

De Condit. agr. p. 1.

Annal. 12. 32. 4.

Id. ib. 1431. & Agric. c. 16.

tem adimat? aut Conſenſum Scriptoribus Boicis ſatis curatis, ſatis illuſtribus? Noricum, in quo Oenipons ab Auguſto domitus, quis ab Auguſto cultum neget? an ad Confluentes, quales hîc, opportunitatem annonæ & Commerciorum neglectam, aut ripas fluminis incuſtoditas à tanto Principe ſomniet? His antiquitatis prærogativâ Aquilejam facilè præcellere ex eo convincimur, quòd annis pluſquam CL. antiquiorem Coloniam indubiô Strabonis, Livii, Velleji teſtimonio conſtet: Licebit proin haud temerariam iterùm Conjecturam repetere, ſi non integrum Itinerarium, ſaltem hanc, quæ de Illyrico Norico ac Rhætia urbes ac manſiones recenſet, Itinerarii partem Auguſti ætatem ſapere, ac proin etiam Veldidenam, toties per harum provinciarum directiones recurrentem non ævô juniorem, ſed fortè ſuperiorem arguere: Si enim Auguſti ævô non extitiſſet, qua ratione ab urbibus ante dictis, & Auguſti ævô certè conditis vel reſtauratis velut ad terminum directiones fieri potuiſſent? Sed majora fortaſſis adhuc ſuppetunt, ante Auguſtum nempe jam ſtetiſſe, aut ſaltem ſtare potuiſſe, argumenta; fuiſſe enim in Rhætia ante Auguſti ævum urbes & Caſtella Romani Scriptores clarîs ſignârunt teſtimoniis: Bellô quippe Cimbricô centum omnino ante domitam ab Auguſto Rhætiam annis, propugnaculi ſeu Caſtelli ad Atheſin Plutarchus meminit: *Barbari*, inquit, *trajecto Athiſone propugnaculum Romanorum occupavêre, & Romanos ibi exiſtentes, Viros fortes, ac pro patria digna pericula aggreſſos admirati, inducias poſtulantibus ſub ænei tauri juramento conceſsîs dimiſerunt.* Hæc enim in Rhætia ſive Tyroli noſtra geſta eſſe tum ex fuga Catuli ab Alpium tranſitu ad Athiſonem ſeu Atheſin, imò ad pedem Alpium noſtrarum versùs Veronam (ùt Illuſtriſſimus Maffejus docet) conſidentis patet, cùm viros hos fortes à reliquo exercitu intercluſos fuiſſe pronum ſit credere. Catulum verò antea adversùs Cimbros copias in Tyrolim duxiſſe idem Plutarchus, & in ſaltu Tridentino moras traxiſſe Frontinus & Ampelius docent, prior hæc dedit: *M. Scaurus filium, quod in ſaltu Tridentino locô hoſtibus ceſſerat, in conſpectum venire ſuum vetuit, adoleſcens verecundia ignominiæ preſſus mortem ſibi conſcivit:* Adjunctus Floro Ampelius verò: *L. Opimius ſub Lutatio Catulo Conſule in ſaltu Tridentino Provocatorem Cimbrum interfecit;* & iterum: *De variis cladibus populi Romani. Cimbricô bellô, cùm Cimbri Tarentinas Alpes occupaverant:* Ubi librarii errorem corrigit Perizonius & ritè *Tridentinas*

In Mario f. 215.

Veron. Illuſtr. p. 1. l. 3. f. 60.

Frontin. Stratag. l. 4. c. 1.

Ex Bibl. Salmaſ. c. 22.

tinas ſubſtituit. Extendit autem Alpes Tridentinas uſque ad Atheſis fontem Plinius, ita pronuncians: *Accedentibus Atheſi ex Tridentinorum Alpibus, Togiſono & Patavinorum agris.* Et ne forte quis propugnaculum tumultuarium exſtruxiſſe Romanos credat, videntur à deſcripto per Plutarchum Superiori induciarum fœdere non multùm rudera illa *Caſtelli fœderis* abludere, quæ in Alpibus Tridentinis, ſeu ſaltu ipſo Auriæ (quam Civitatem auream vulgi traditio ob repertas interdum antiquitates, Authorum tamen nemine quidquam afferente faciunt) è regione Termini ſeu Traméni decimo quarto à Tridento Lapide ſub hoc nomine *Caſtelli Fœderis* ſuperſunt. Sed quid unicum Caſtellum moramur? quippe Synchronum Auguſto Horatium ſi ventilemus, non Caſtellum aliquod, ſed arces complures in ipſo bello Rhætico expugnatas disjectáſque videbimus, ita enim ille:

L. 4. Ode 14.

Druſus Genaunos implacidum genus
Brennóſque veloces, & arces
Alpibus impoſitas tremendis
Dejecit acer plus vice ſimplici.

Si verò contra Horatium utpote Poetam excipiant, Caſtellíſque noſtris & arcibus contenti eſſe nolint, etiam Hiſtoricum dabo, & teſtem quidem oculatum non ſemel afferente Voſſio Tiberii bellis præſentem, Vellejum nempe Paterculum; hic enim adeò luculentum affert teſtimonium, ut illud nemo infringere vel poſſit, vel velit: *Quippe uterque (Tiberius nempe & Druſus) divisîs partibûs Rhætos Vindelicóſque aggreſſi, multis urbium ac Caſtellorum oppugnationibus nec non directa quoque acie feliciter functi* &c. Tuſcos enim noſtros, Tyrrhenos, ait Dionyſius Halicarn. *Dicunt nominatos à domiciliis munitis, quæ primi in his Regionibus extruxerunt.* Ex his proin Paterculi ſeu Urbibus, ſeu Caſtellis Veldidenam fuiſſe pluribûs, ut credam, inducor; nullibi enim per totam Tyrolim tam latè patentem, fluviorúmque aut torrentium (ùt frequenter & fere ubivis aliàs) inundationibus, aut vicinis montium ob collectas diu nives ſæpiùs irruentium periculis minùs obnoxiam, ſed potiùs ſecuro ac lætiſſimo ſegetum ac graminis proventu beatam per aliquot horas planiciem, quàm ad Veldidenam noſtram invenies, cùm etiam aliàs ubicunque

De Hiſt. Lat. p. 119.

l. 2. p. 292.

l. 1. m. p. 39.

que per totam Regionem ſeſe Valles noſtræ apertiùs pandunt, ibi etiam urbes, oppidáve antiquiſſima in conſpectum veniant: ut adeò hîc locum aliquem, ſeu urbem vel municipium totius gentis præcipuum fuiſſe ſuſpicari non ex vano liceat, quamvìs ex defectu complurium monumentorum, quantùm ſpatii occupârit, ſecurè affirmari non poſſit, niſi forſan magnam fuiſſe *Auguſtæ* titulus ſuadeat, qui, ſi Veldidenæ proprius fuerit, etiam locum præ cæteris nobiliorem, ampliorémque denotat, ùt Viri doctiſſimi, nobiliſſimíque Maffejus & Velſerus docuêre, de qua re ſermo inferiùs redibit. Non enim expugnatas urbes & arces diruere ſoliti ſunt S. P. Q. R. aut Auguſti Principes, ùt Halicarnaſſæus teſtatur, à Romulo Conditore more ac exemplo deducto, neque ſemper ſervitute multârunt, ſed ferè in agrum de eis captum Colonos ab urbe deduxêre; *qua re ad libertatem firmandam, vel ad propagandum Imperium fingi accommodatius nihil potuit*, ùt paucis exequitur Pitiſcus: Et hæc interim ex Itinerarii, Tabulæ, & Notitiæ, quas non fruſtra originem Auguſti ævo debere ſupra diximus, allatis, aliiſque rationibus ſufficiant, donec aſſerta noſtra etiam monumentis, & fortioribus adhuc Authorum teſtimoniis firmemus. T. I. f. 501.

CAPUT IX.

An etiam Colonia Romanorum, ùt illæ, fuerit.

AQuilejam & Lauriacum urbes magnas ac celeberrimas nemo facilè inficiabitur, qui illam Carnorum, hanc Norici Ripenſis Principes noverit, ad quod etiam nonnihil conferre potuit, quòd utraque inter Romanorum Colonias fuerit: *propter amplitudinem* nimirùm, *majeſtatémque Populi Romani*, *cujus iſtæ Coloniæ effigies parva, ſimulacráque eſſe quædam videntur.* Utrùm verò in horum Cenſu urbs cæteroquin ſatìs ampla olim ac celebris Pons Oeni numeranda ſit, ut Aventinus credidit; nolim dubitantibus Viris eruditis ex defectu monumentorum, fortè nec Oetingæ ſatìs curatorum A. Gell. l. 15. c. 12. p. m. 552.

torum affirmare: num verò Veldidena inter Colonias unquam, & quando fuerit, noſſe multùm omnino intereſt. Incumbere autem nobis præprimis reor, antequam in aſſerti rationes inquiramus, Coloniæ indolem perſpicere, & tum primùm an Veldidenæ convenire poſſit, indagare; audiamus Appianum: *Mos erat Romanis, nunc hos, nunc illos Italiæ populos ſubjugandô, parte agri multare, in eúmque Colonias deducere, aut* (adverte) *in jam ante condita oppida novos Colonos ſui generis adſcribere; hæ Coloniæ tanquam præſidia partis bello provinciis imponebantur.* Notúmque aliunde jam eſt, modò Colonos, modò milites, modò ſolos veteranos fuiſſe deductos, imo, ut Taciti verbis loquar, *univerſæ legiones deducebantur cum Tribunis & Centurionibus, & ſuis cujuſque ordinis militibus, ut conſenſu & charitate Rempublicam efficerent.* Antiquiſſimus hic mos Romanorum fuit, ipſi Romulo, & ſucceſſoribus in acceptis referendus: De Romulo Dionyſius nos certiores, facit, de Anco Martio clarum Flori effatum habemus: *Oſtiámque*, ait, *in ipſo maris, fluminíſque confinio Coloniam poſuit.* Continuatus hic utiliſſimus à Republica ritus uſque ad everſorem ejuſdem Julium Cæſarem, qui eundem pariter retinens morem in tranſmarinas provincias colonias, octoginta millia Civium diſtribuit, Cæſaris hujus Succeſſor melior *Auguſtus centum viginti millia* (ùt loquitur Lipſius) *deduxit ſub quintum Conſulatum ſuum, ùt Lapis Ancyranus oſtendit, & poſtea multa millia adjunxit: Itaque hujus Principis plurimæ & in toto orbe fuêrunt, denique paulatim tanta frequentia, ut negem Regionem imò vix Regiunculam fuiſſe, in qua Colonia aut Coloniæ non eſſent.* Ut adeò inter Principes Auguſtus emineat ſecundùm verba Lapidis Ancyrani: *Solus omnium, qui deduxerant Colonias militum in provinciis.* Provinciam autem & Regionem, ne dicam, Regiunculam hanc noſtram Alpinam fuiſſe Rhætiam & Lapides & Authores teſtantur, quam Auguſti auſpiciis à Druſo & Tiberio in poteſtatem populi Romani redactam mox docebimus. *Ubicunque autem*, ait Seneca, *Romanus vicit, habitat:* Vicit autem Auguſtus Rhætiam, habitavit itaque in Rhætia Romanus. Aliis autem, niſi Legibus Colonicis ùt illas Varro vocat, habitare non licuit: Domuit Auguſtus Rhætiam, domuit gentes inalpinas *omnium bellicoſiſſimas:* Domuit *Rhætos gentes locis tutiſſimas, aditu difficillimas, numerô frequentes, feritate truces & plurimo cum eorum ſanguine perdomuit.* Et his gentibus, Rhætis noſtris, devictis Colonia-

Annal. l. 14. c. 27. v. 4.

l. 1. c. 4.

Suet. in Cæſ.

De magnitud. Rom. l. 1. c. 6.

Apud Suet. Grævii p. 8. l. c.

De re Ruſt. l. 2. Dec. Brutus apud Cic. ep. fam. p. 407.

Paterc. p. 292.

loniarum vincula negabis? Totum istis vinculis miramur orbem compeditum & constrictum, & gentem adeò Romanis formidatam, ùt Ovidius exclamârit:

Rhæticáque nunc præbent, Thracicáque arma metum.

ab his liberam, à communi lege immunem & suis adhuc insidiis ut Romanis iterum iterúmque infesti esse possint, tutò relictam fuisse, quis sanæ mentis sibi persuaserit? Stoliditatis utique non levis notam orbis Domitores Romani haud effugerent, si in hanc delapsos socordiam quis unquam arguere posset: Aliud longè nos Dio Cassius Author, ùt in omni Historia, ita in re nostra summè perspicuus, verbîs disertîs edocet: *Quia verò & populosa erat gens, Rhætorum*, inquit, *videbantúrque bellum retentaturi, maximam ejus & ætate validissimam partem inde abduxèrunt, iis relictis, qui & colendæ ei Regioni sufficerent, & ad rebellandum non satìs virium haberent.* Hîs deteriora adhuc Strabo Author coævus de hoc bello & his ipsis gentibus affert: *Eæ nunc partim excisæ sunt, partim domitæ.* In Castella autem vacua, in vacuas urbes, quarum multas hôc bellô oppugnâtas Vellejus dicit, expugnatam verò Rhætiam in provinciæ formam redactam confirmat, non deductas militares Colonias quis vel somniare præsumat? præcipua enim Coloniarum utilitas *præsidium in subjectos*, ait Lipsius, *sparsa hæc tot oppida locîs opportunîs, & in iis Romanus sanguis quidni tot arces & propugnacula erant Romani Imperii, dicamus quidlibet: nihil tam validum, quàm talis aliqua deductio, & ubi ii, qui agros in alieno accepêre, semper obligantur, aut tueri jura imperiúmque donantium aut pelli, si & ii pellantur.* Et quamquàm Lipsius idem: *præsidia militum in longinquis, limitaneísque locis fuisse, pauca aut nulla in provinciis mediis, & pleraque eorum sine milite & armis ullis credat*, aliter tamen de provincia recenter subacta, & quidem *multo sanguine* perdomita, de gentibus locis tutissimis, aditu difficillimis, numerô frequentibus, feritate trucibus, & bellum facilè retentaturis statuendum fuit, imo & statutum, ùt ex Epitomatore Livii ac fastis Coss. apud Gruterum de *Inalpinis Gallis* supra Aquilejam, rursúmque *ex Lucii Munatii Triumph. ex Rhætis* in Lapide Caëtano, atque ex Livio & Orosio de *Stonis* gente pariter nostra, cui servire morte acerbius fuit, Straboni etiam memorata, ac de *Camu-*

l. 4. f. 313.

l. c.

f. 296.

Vell. non peregr. p. 265.

Epit. LXII.

l. 5. c. 14.

l. 4. f. m. 293.

f. 611. *nis* & *Vennonetibus* à Publio Silio, teſte eodem Dione, jam olim devictis, ſed iterùm bello primùm deſcripto ad arma redeuntibus conſtat, longè inquam aliter ſtatuendum fuit, *ut* (Strabonis verba ſunt) *horum omnium impudentiſſimas incurſationes reprimerent.*

Veldidenam autem Coloniam deductam tum propter non improbabilem loci antiquitatem, & quòd ob tot directiones viarum locus princeps eſſe debuerit, tum quòd ad pedem montis Pyrenæi ſeu Brenni (eò uſque enim imò & ampliùs adhuc Scriptores antiqui hunc montem extendunt) in latiori planitie ſitum, agris pro militum numero majori dividendis abundârit, atque Regiam Romanorum viam prima ſtatim fronte exceperit; Utique non ex vano contendimus; Quos enim *Brennos* Horatius in hoc bello dixit, omnes & hujus & vicinorum montium incolas, accoláſque intelligit, dein Jornandi, Venantio & Paulo Diacono Breones Briones & Ibriones has Alpium vicinarum fauces & campos tenentes compellatos. Hos cùm *veloces* quoque dicat Horatius, diſcere ab illis ipſis Druſi ac Tiberii, quibus convixit, militibus potuit, rerum novandarum, quarum vis in celeritate poſita eſt, & capiendi exequendique in arena Conſilii haud imperitos, & vel Romanis ſummoperè timendos, atque eapropter hoc Coloniæ frœno coercendos fuiſſe: ut alia argumenta fortè non inferiora modò ſubticeam, de quibus alibi ſermonem adhucdum facturi ſumus, præcipuè ſi Veldidenæ titulus *Auguſtæ* aliquando proprius fuiſſet, quod ſplendidum Cognomen vix aliis, quàm Coloniis datum fuiſſe præeunte Cellario affirmamus interea, donec forſan plura nec abſona ſuppeditentur.

Orb. antiq. t. 1. p. 336.

CAPUT X.

An Veldidena urbs etiam tam nobilis ac iſtæ, & forte Rhætiæ Caput fuerit.

POſtquam Veldidenæ antiquitatem rimati, atque Coloniæ neceſſitudinem executi ſumus, ejus pariter nobilitatem ac præſtantiam diſcutiamus; nam etſi, ùt ab initio diximus, Veldidenam

denam *nobilem manſionem* Surita, *alicujus nominis Celebritatiſque locum* Cluverius, *urbem* Cl. Weſſelingius, *antiquam urbem magni nominis & Celebritatis* Lambecius, *Nobilem* Cellarius, imò & cum Cl. Maſcovio etiam *Rhætiæ Caput* fuiſſe Geographi ſummi, ac Viri Litteratiſſimi ſenſerint, aliam tamen rationem nemo unus addidit, quin Surita faſſus eſt inſuper: *ſe neque Veldidenæ nobilis in hoc Itinerario manſionis mentionem ullam reperire potuiſſe, niſi quam Cluverius adjecit, quòd nimirùm varia Itinera eò terminarit Antoninus* &c. Eadem repetit Lambecius, & *ſatìs ex eo patere*, inquit, *quòd Antoninus in ſuo Itinerario tria diverſa Itinera ibi terminat.* Nec diverſus ab hoc Cellarius eſt, *ex Itineribus Antonini patuit*, ait, *quæ Lauriaco, & inferiore Oeniponte diriguntur Veldidenam.* Nullus tamen ex his omnibus ſententiæ ſuæ exactam rationem, quâ dictis aptè fidem conciliare potuiſſet, reddidit. Edocendum enim fuerat, loca, in quibus Itinera terminârit Itinerarii Author, illô ſaltem ævô fuiſſe nobiliora, & reliquis longe magis præcipua. Duo igitur hîc conſideranda nobis veniunt, quænam nimirum viæ concurſu hîc ſuo terminatæ, & an pleraque loca, ubi aliàs hæ ipſæ viæ terminatæ fuêre, etiam alibi fuerint præ cæteris eximia. Prima igitur via, quæ Veldidenam ſpectat, exordium ſortiter in Laureaco, Norici (novæ Auguſti Provinciæ) urbe principe; olim, ùt monſtravimus, ampliſſima, Auguſti Colonia, Præfecti Legionis tertiæ ac Claſſis Lauriacenſis, Lancearíorum quoque Lauriacenſium manſionibus & fabrica ſcutaria nobilitata.

Nec Veldidenam tantummodò, ſed Auguſtam Vindelicûm & Brigantiam, claras utique urbes, ejuſdem cum Veldidena ſortis, ut terminos reſpexit, quemadmodùm in Capite V. videre eſt: à Brigantia verò Mediolanum, à Mediolano demum Roma ipſa pro termino aſſignatur, ubi non viæ ſolùm omnes, ſed & orbis terminabatur Itinerarium.

Via tertia dirigitur ab Oeniponte, iterum ampliſſima Norici urbe, & fortè non improbabiliter Romanorum Colonia, quæ etiam in Itinere de Pannonia in Gallias, atque ex Norico in Veldidenam occurrit, Equitum olim Stableſianorum manſione, atque indubio Tabulæ Theodoſianæ teſtimonio *ad Enum* etiam commerciô celeberrima.

Quarta ex univerſa Italia & Illyrico ab Aquileja, Romanæ adhucdum Reipublicæ ad Norici limitem Coloniam: Auguſti, Juliæ,

aliorúmque Imperatorum, ac Legionum complurium, inſuperque Præpoſiti Theſaurorum per Italiam manſione, urbe ingentis magnitudinis, emporio opulento & copioſo, officina demum etiam monetaria in paucis nobili, & quidem per compendium Veldidenam dirigebatur. Ut hoc itinere promptiùs Auguſti Nuntii, aut Auguſtus ipſe *Germanicis interveniret, aut non longe* (bellis) *abeſſet.*

Suet. in Aug. l. c.

Patet igitur ex ſolis Directionum Capitibus Laureaco nimirùm, Oeniponte, & Aquileja Veldidenam itinere Conſulari, Regio ac Militari, toties Romanos Exercitus (quibus Noricum & Pannoniam debellavit & coercuit Auguſtus) & rediiſſe, & interquieviſſe: patet iterum hos exercitus, quibus Vindeliciam & Germaniam domuit item Auguſtus, imò Imperatores ipſos, Auguſtum nimirum bellis intervenientem, Tiberium, Druſum, Hadrianum tranſeuntes Veldidenæ, ùt in termino Directionis & locô poſt Aquilejam & Laureacum in toto itinere præcipuo, vel quietis cujuſdam intercapedine, vel rerum circumquaque diſponendarum opportunitate, vel nuntiorum in medio hoc exſpectandorum & promptiùs expediendorum neceſſitate moras diutiùs traxiſſe: Duces, Legatos, exercitus, ſubſidia, arma, annonam exſpectâſſe, multa, imò complura ſecundô Oenô in Noricum, Pannoniam, imò in Pontem Euxinum uſque pro Claſſe Laureacenſi, Vindobonenſi & Taurunenſi ſubmiſiſſe. Quæ quidem ne jactantiùs forte quam veriùs allata quis ſuſpicetur, non jam pro argumento, Directionum Capita, ſed terminos inſpiciamus; hinc ne profuſiores ſimus, videamus, an hæc ipſa noſtra tam Illuſtria Directionum Capita in hoc Itinerario termini, ùt Veldidena, fuerint: aut an alia loca, in quæ ab ipſis ùt Directionum Capitibus viæ directæ & terminatæ fuerint, urbes illuſtres, Regionum præcipuæ, aut etiam principes ſaltem plerumque extiterint. Lauriacum igitur veſtigia relegamus, non jam ùt Caput, ſed inſtar Veldidenæ, ùt terminum à Sirmio & Tauruno haud perfunctoriè conſiderantes. Sirmium autem & Taurunum quantæ olim urbes! prima Straboni, Plinio, Ptolomæo, Vopiſco, Marcellino, Jornandi, Stephano celebrata, & Pannoniæ Metropolis, pro manſione Præfecto Claſſis primæ Flaviæ Auguſtæ, & Tribuno Cohortis tertiæ Alpinorum, Dardanorum Alæ Sirmienſis aſſignata, atque inter clariſſimas in ipſo Itinerario poſita.

ITER

ITER AB VRBE MEDIOLANO. f. 123.
AQVILEIA.
SIRMIO.
NICOMEDIA.
ANTIOCHIA.
ALEXANDRIA &c.

In Hierosolymitano dein pro termino Aquileja, Sirmium pro Capite: à Sirmio Carnutum, & Sardicam altera, *Taurunum* nempe, etiam nobis hodiedum notissima est, cùm Belgradum sit ad Istri Savíque Confluentes, locus amplissimus, munimentum & emporium percelebre: opportunitate loci ac fluminum jam olim à Romanis non perfunctoriè excultum: unde Lancearii Taurunensibus nomen, Equitúmque, quos promotos dixêre, non ignobilis statio à Plinio, Arriano, Ptolomæo, Itinerario, Notitia & Constantino dein etiam Porphyrogeneta commendata. f. 563. 567. f. 266. 267.

Fuit proin Lauriacum, Norici Metropolis, & primæ Directionis nostræ Caput bis (à Sirmio nimirum & Tauruno) terminus, quarum prima inter urbes Orbis Romani Principes Sirmium rursum semel terminus, bis Caput, altera inter urbes una ex præcipuis fuit. Nunc ad alterum Directionis Caput, sed iterùm ùt terminum pergamus, Oenipons hic fuit, ita Itinerarii Directio docuit. Verùm quid hîc adverto? quæ binæ directionis Caput fuit, nunquam fuit terminus! rem penitius inspiciamus: Capita Directionum ejus Veldidena & Castra fuêrunt, incertum quæ: Oenipons verò non tam certa cujuscunque demum Imperatoris Colonia, nec provinciæ Caput, aut tot Antiquitatum testimoniis nobilis est, etsi posteriori seu medio illo ævo illustrior fuerit, quàm Veldidena; hanc autem antiquissimam & vix impugnandam Augusti Coloniam non omnino vanis (ùt nobis blandimur) ex rationibus scripsimus: monumenta verò ex omni fere antiquitatis genere paulò inferiùs dabimus, licétne hinc inferre, potuisse Directionis etiam Caput ignobilius fuisse ipsô terminô? etsi valde aliàs forsitan eximium foret! planè hæc res omni fundamento non caret.

Exantlatîs hîs binîs Directionum Capitibus, lustratísque eorum terminis, tertium restat longè gravissimum: Aquileja nimirum su-

premum digniſſimúmque Directionis noſtræ Caput, non aliter tamen, niſi iterum per compendium Veldidenam ad terminum deducendum: Accingimur Itineri, præfigimus Itinerarium:

p. 270. ITER AB AQVILEIA PER ISTRIAM EXTRA MARE SALONAS M. P. CXCVIII. ſic.

p. 272. ITER AB AQVILEIA PER LIBVRNIAM SISCIAM M. P. CCXIII. ſic.

p. 276. AB AQVILEIA LAVRIACO M. P. CCXII. ſic.

p. 281. AB AQVILEIA BONONIAM M. P. CCXVI.

Et in Itinerario Hieroſolymitano.

FIT AB AQVILEIA SIRMIVM VSQVE MILLIA CCCCXII.

Ex his Directionum terminis urbes Lauriacum & Sirmium perſpectæ nobis abundè, nunc Bononia, Salonæ, & Siſcia diſcutienda ſunt. Fuit autem Bononia ipſa etiam Aquileja antiquior: Livio quippe

XXXVII. 57. præeunte ſcimus: *Eodem anno ante diem tertium Kalendas Januarias Bononiam Latinam Coloniam ex Senatuſconſulto L. Valerius Flaccus, M. Attilius Serrarius, L. Valerius Tappus Triumviri deduxêrunt: tria millia hominum ſunt deducta, equitibus ſeptuagena jugera, cæteris Colonis quinquagena ſunt data. Ager captus de Gallis Bojis fuerat, Galli Tuſcos expulêrunt.*

l. 3. c. 15. Felſinam & principem Hetruriæ Plinius: *Intus Colonia Bononiæ Felſina vocitata, cum princeps Hetruriæ eſſet.* Plura deſideranti Cicero in Bruto, Tacitus in Annalibus, Suetonius in Octavio & Nerone, cum Valerio Maximo, Mela & Paterculo aliiſque conſulendi ſunt.

Poſt Bononiam Salonas luſtremus, utpote, quæ ipſa etiam *Colonia* Plinio & Ptolomæo *Julia Salona* in Lapide ad hunc locum Suritæ, & alio Gudii: *Col. Jul. Mart. Salona* compellata fuit.

Præſtantem quoque Notitia facit, dum ibidem *Fabricam Salonitanam armorum, & Præpoſitum theſaurorum Salonitanorum Dalmatiæ* collocat, imò præ innumeris inclaruiſſe teſtimonium Divi Hieronymi, hujus viciniæ Civis, non obſcurè indicat: *unde & ſæpè interpretes variant, cujus rei exemplum nos in lingua noſtra habere poſſumus Athenas, Thebas, Salonas:* quas unà omnes illum ex proprio viſu non temerè

Ad Marcellam.

temerè comparâſſe credimus. Plura, qui de Salonis ſcire avet, Cæſarem bello Civili, Melam, Ptolomæum in Illyrico, Stephanum in urbibus, Procopium in bello Getico adeat: aut ſi rudera Villæ Diocletianæ ad Salonem videre geſtit, ea ingentia Montefalconius ex Sponio depingit: Nobis hæc pauca congeſſiſſe ſufficiat, idem modò de Siſcia collecturis. Siſcia igitur nec locus demum eſt novus, nec incelebris, cùm mentionem de illa jam Strabo ingerat, prope Segeſticam refert: *ſunt etiam Siſcia oppidum, & Sirmium in Italico itinere;* Plinius adhæc Coloniam affirmat: *In ea Coloniæ Amonia, Siſcia. Urbis mœnia Siſciæ.* Prudentius adſtruit: Notitia Theodoſii *Præpoſitum theſaurorum Siſcianorum, & Procuratorem Monetæ Siſcianæ* commemorat.

T. 3. f. 134.
l. 7. f. 314.
l. 3. c. 25.
Periſteph. 7. v. 3.

Hos igitur tam inſignes Directionum terminos fœcunda nobis Aquileja produxit; Nunc quod rebus noſtris pondùs haud leve addit, etiam Aquilejam ipſam ùt terminum videbimus: talem enim & Itinerarium Antonini, & ſic dictum *Hieroſolymitanum* profert, priùs ita habet:

ITER AB VRBE MEDIOLANO M. P. DVIII. f. 123.
INDE AQVILEIA M. P. CCLX.
INDE SIRMIO M. P. CCCCI.

Inde Nicomedia, Antiochia, & Alexandria in Ægyptum. Et rursùm:

AB ARIMINA RECTO ITINERE RAVENNAM. M. P. XXXIII.
INDE NAVIGATVR SEPTEM MARIA ALTINVM.
VSQVE INDE IN CONCORDIAM M. P. XXXI.
AQVILEIA M. P. XXXI.

Hieroſolymitanum verò ſic: p. 559.

FIT A MEDIOLANO AQVILEIAM VSQVE MIL. CCLI.
MVTATIONES XXIII. MANSIONES IX.

Ex his gnaviter conquiſitis haud difficulter colligimus, noſtra hæc tam Illuſtria Directionum Capita non tantùm terminos fuiſſe Veldidenæ

didenæ ad inſtar : aliáque loca omnia, in quæ ab his ipſis ùt Directionum Capitibus viæ directæ & terminatæ (intermediis ſemper nunc paucioribus, nunc compluribus mutationibus & manſionibus) fuêre, urbes etiam illuſtres, Regionum præcipuas, aut etiam principes, ſaltem plerumque, extitiſſe.

Atque ut luce meridiana clarior fiat noſtra hæc, quam probandam ſuſcepimus, inveſtigatio, rem per compendium conficiamus. Primum igitur Directionis Caput Lauriacum in Itinerario terminus conſtituitur à Sirmio & Tauruno : Caput alterum Auguſta, pariter terminus eſt à Tauruno & Lauriaco : Ultimum denique Veldidenæ noſtræ Caput Aquileja fit terminus à Mediolano, iterúmque (ut ad Veldidenam) facit terminos Salonas, Siſciam, Lauriacum, Bononiam, Sirmium cùm eò in Itinere Regio vias dirigat. Combina nunc Directionum Capita ſimul, & terminos Lauriacum, Bononiam, Sirmium, Taurunum, Mediolanum, Salonas, Aquilejam, & problema mihi ſolve : an Directionum Capita, an termini præhabendi ſint? Nolo jam Itinerarium reliquum percurrere, argumentîs domeſticîs uſus ſum, milite proprio cauſam Patriæ meæ defendi. Nunc dictis meis etiam colophonem addo, & animô planè obfirmatô exquiro : ſi tam nobiles imò nobiliſſimæ atque univerſim & conſtanter fuêre, quæ poſt tot manſionum modò pauciora, modò numeroſiora intervalla pro termino vel ſemel aut bis aſſignatæ fuêrunt : cur Veldidena locus antiquiſſimus, non incerta Auguſti Colonia, & *ter* (quod nonniſi Illuſtriſſimis quibuſque in toto Itinerario urbibus contingere aſſolet) *ter*, inquam pro termino aſſignata, cur Veldidena urbs non æquè ejuſdem ſortis ac conditionis fuerit, quæ urbes paulò ante enumeratæ in ſuis fuêre provinciis, nempe præcipua : præ reliquis omnibus ejuſdem Regionis illuſtrior, amplior? Imo cùm de aliis noſtris per Tyrolim locis nihil tam eximium conſtet, meritò totius provinciæ Caput, & Rhætiæ univerſæ urbs princeps ac metropolis cur dici non poſſit ac debeat? Agnovêre haud dubiè Deductionis noſtræ vim Viri, quos iteratò adduxi, in re Geographica ac Litteraria conſummati Cluverius, Cellarius, Surita, Lambecius, Maſcovius & Weſſelingius, nec temerè ut iterato dixi, nobilem magni nominis & Celebritatis locum, urbem, & Rhætiæ Caput extuliſſent, niſi in Itinerario Deductionum Capita & terminos in univerſo orbe Romano ad invicem animô præ-

ſentî

ſenti & cum cura comparâſſent. Manet igitur inconcuſſa hæc prærogativa Veldidenæ noſtræ tum Authoritate Scriptorum, tum rationum pondere firmata, antiquiſſimam nempe Auguſti Coloniam, atque Rhætiæ totius Caput, & locum principem fuiſſe: nemo enim, qui emunctioris naris eſt, & Romam antiquam vel à primo limite ſalutavit, unquam inficias ibit, urbem aliquam in quavis Provincia (qualem Rhætiam noſtram Auguſti Imperio adjectam non uno teſtimoniô didicimus) reliquis præſtantiorem, majori jurium prærogativa eximiam, Coloniæ dignitate, Civium Equitúmque nobilitate reliquis antelatam fuiſſe: Pro ſola autem Veldidena Itinerarii rationes non ſemel militare perſpicuè omnino ſuſpeximus, monumenta autem complura inferius eruemus. Cæterùm etſi gaviſus haud leviter ſim, ubi terminos Directionum, urbes tam nobiles fuiſſe deprehendi; longè liquidiori tamen poſtea perfuſus ſum gaudiô ubi dudum jam ante me Virum in hoc ſtadio nobilem Bergierium docuiſſe intellexi complures militares Imperii Romani vias exitum ſortiri ad urbes provinciarum præcipuas: quò etiam reſpexiſſe verba D. Hilarii Pictavienſis Capite V. allata non adeò improbabiliter credimus. Quin poſt biennium, ùt hæc finieram, idem quoque Cellarium in Geographicis facilè principem ſenſiſſe deprehendi, dum *itinera ex variis locis ad urbes tantùm famâ nobiles directa* eſſe contendit.

De viis milit. Rom. t. 2. c. 34. p. 244.

CAPUT XI.

Aſſertio contraria Velſeri pro Auguſta ſua Capite Rhætiæ cum ſuis Authoritatibus affertur.

HActenus equidem inoffenſo pede in propoſito noſtro proceſſimus, dum primò Rhætiam fuiſſe, quæ hodie Tyrolis audit, in eáque Veldidenam ſatis nobilem ex Itinerario, Tabula & forſan etiam non improbabiliter omnino ex Notitia adſtruximus, demum etiam hanc urbem perantiquam, Coloniam Roma-

nam imò Regionis Caput fuisse non futilibus omnino, ùt spes est, rationibus firmavimus: Verùm hæc cum rebus Velseri Augustanis convenire haud queunt, ut qui longè diversum ab his systema sibi construxit, atque etiam vix aliud construere potuit, cùm in Annalibus nostris Patriis nemo unus ante Velserum quidquam præstiterit, post illum verò aliam inire viam, quàm hoc duce nemo Doctiorum plane sit ausus. Illos siquidem minimè moror, qui hôc neglecto Aventinum secuti sunt, toties & meritò à Velsero confixum: Ego autem maximæ temeritatis me reum facere existimâssem, dum huic tanto viro contrarium assero, nisi dubium mihi haud leve Viri illi Litteratissimi (de quibus Capite primo) movissent, an nimirum omnia hæc nostra Velserus scire potuerit, cùm in explicando Antonini Itinerario, quod Augustâ Veronam ducit, ad ultimam
f. 38. ante Veldidenam in hoc itinere mansionem, *Parthanum* delatus, statim subdat: *de iis, quæ sequuntur, mihi tenebræ:* & præterea ubi de milliario, quod ætate sua, & propria *in monumentis peregrinis* confessione prope Vilthaimum (Veldidenam nempe nostram) fuit, mentio in opere recurrit, locum hunc, Veldidenam scilicet ne no-
f. 138. minet quidem, sed Cippum *in Alpibus* extare dicat, in Charta autem Geographica instar mansionis cujusdam obviæ designet, solam Augustam extollens. Habuit de Rebus Tyrolensibus Scriptores omnino nullos Velserus, monumenta etiam paucula tum suppetebant, nec erant illô adhuc ævô, qui Historiæ, Critices & Antiquariæ rei peritiâ suffulti res patrias curiosiùs indagarent. In horum igitur omnium defectu systema, ùt dixi, Patriæ nostræ ac præprimis Veldidenæ minùs glorioſum in lucem Vir nobilis protulit: quod ut magis perspicuum reddam, breviter tum ex Charta ejus Geographica, tum verbis etiam propriis totum describam; typo igi-
f. 15. tur ille suo titulum præfigit: *Vindelicia veteris delineatio: Rhætiæ majoris pars, aliquando Rhætia secunda appellata est: Terminos habet ab Occidente, quà Rhætiam propriam, seu primam & Helvetios spectat, Brigantinum lacum: à Septentrione, quà Germaniam magnam, Danubium, ab Oriente, quà Noricum, Oenum fluvium, à meridie, quà Italiam, Alpes.* Quid sub *Rhætia majore* sibi velit Vir Cl. nondum capio: sub Rhætia propria & prima tantùm Curiensem posuit; Tacuit de tota Tyrolensi Rhætia, illique duntaxat titulum appossuit *Pars Alpium.* Atque hoc ordine Chartam adornavit Geographicam: in narratione

ne ipſa non credidit populos Rhætorum ab illis ſuis Vindelicorum diſtingui poſſe, nam ſtatim poſt principium ſic infit: *Cùm utraque gens* (Rhæti & Vindelici) *in multos minutos populos diviſa fuerit, (Civitates vocat Plinius) nemo hodie eſt, qui ſingulorum ſitus ſe exactè deſcripturum verè promittat, nimiopere diſſentiunt, quæ antiqui de illis ſcripta reliquêrunt, ídque mirari magìs, quàm quid veri ſit, diſcernere queas, imo cùm ut quiſque Rhætorum Vindelicorúmque continebatur Imperio, ita Rhætorum aut Vindelicorum nomine cenſetur, jam neque iſtud de omnibus certò poſſumus cognoſcere, ad quam ex alterutra gente pertinuerint. Accidit Rhætiæ, quòd pluribus aliarum Regionum nominibus, duplicem ſignificationem recepêre. Rhætia enim eſt totus iſte terrarum tractus, Rhætia etiam hujus tractûs pars quædam. Et cùm Rhætia major præter Rhætiam propriam, Vindeliciam complectatur &c. vidit Horatius, quô locô Rhætos Vindelicos à Druſo ſuperatos indicat, ſignificat enim Vindelicos in majori, quam diximus, Rhætia ſitos eſſe:*

Rer. Aug. f. 2. f. 3. f. 4.

Vidêre Rhæti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem Vindelici.

Interpretes hæc mirè torquent, nonnulli Copulam ET Vindelici addidêre, alii ſubaudiendam annotavêre, quibuſdam vidêre denuò ſubaudiendum viſum. Interim fatemur, Copulam ab optimæ notæ Codicibus MStis abeſſe, ſenſus enim, quem ſequimur, ſimplex & apertus tum eſt certiſſimus, & noſtras rationes aptè confirmat: apud Acronem quoque & Porphyrionem, quin & apud Servium Rhætos Vindelicos legimus, at unus omnium ſenſus eſt, omnes quippe Horatium ſecuti, atque hæc quidem ſatìs clara & firma.

Sic igitur gentes Alpinas ab illis, qui campos ab Alpibus ad Danubium incolunt, genere non differre ex Polybii mente putat. Num autem iſthæc ſatìs clara & firma ſint, nos neque temerè, ſed aliis potiùs præeuntibus indagabimus, etſi de his ne dubitare quidem Velſerus videatur, dum rurſum ait: *At quàm latè Rhætia & Vindelicia patuêre, unus Præſes præfuit, (quod docebimus) utroque populo in unam provinciam Rhætiæ nomine coacto; Neque ſuberat cauſa, cur in partes divideretur, ſi tamen aliqua, cur ab antiqua diviſione & priſcis terminis, qui ante conſtitutam provinciam, diſceſſum fuiſſet?* Et quamquàm ſubin complura ante Auguſtum de Rhætis Italiæ & Galliæ im-

f. 6.

minentibus afferat, quæ transalpinos suos sive Rhætos, sive Vindelicos attingere non credit, hos tamen, omnémque horum, saltem Curiensem Provinciam, paulò post cum Vindelicis suis apertè con-
f. 29. fundit, dum pergit: *Nam Rhætiam propriam & Vindeliciam in unam provinciam coivisse plerisque testimoniis confirmare possum, quibus, ùt in re clara, abstineo.* Et paulò pòst: *Cùm vero Provinciæ nomine appellaretur, evenit, ut Vindeliciæ vocabulum paulatim desuetudine obsolesceret, nisi quà Augusti cognomen mansit: hinc est, quòd qui post Augustum & Tiberium scripsêrunt, nonnulli id nunquam expressêre, quamquàm crebra esset occasio, sed ubique Rhætiæ nomine comprehendêrunt, utì in Dione & Tacito omnium diligentissimis observare licet, nam quod Tacitus Vindelicarum Cohortium semel meminerit, alia ratio, proprium hoc illis ab Institutione nomen hæsit, neque fortassè ineptè, qui Augustanas Cohortes interpretatus est.*

Atque ut Rhætiæ hujus unicæ (Vindelicæ nimirum suæ) rationes aptiùs firmaret, Coloniam in hanc deductam ritè quidem ait:
f. 33. *Nomen Augustæ inditum, Vindelicorum cognomen additum differentiæ aliarum urbium, quæ eodem nomine appellatæ.* Imò Coloniam hanc solùm in Rhætia & Vindelicia, nullámque aliam in utraque, seu ùt ille vult (& ego forsan meliùs cum Jurisconsulto exsplicem) *Consolidata* admittit.

Nunc ne quidquam sine locupleti teste asseveremus, docebimus inprimis Coloniam deductam, eámque unicam, unus utrumque Tacitus conficiet: qui hujus eum in modum meminit: ut unam fuisse disertè ostendat, Hermundurorum Civitas fida Romanis, eóque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus (obiter verbô ostendit, Coloniam longiusculè à Danubio dissitam) atque in splendidissima Rhætiæ provinciæ Colonia passim sine Custode transeunt: & cùm cæteris gentibus arma modo, castráque nostra ostendamus, his domos villásque patefecimus non concupiscentibus. Si plures in Rhætia Coloniæ (Rhætiam quo sensu accipiat, explicavimus) ne illa aut Colonias dixisset, aut nomen ejus quam animô conceperat, expressisset, præterea nulla in medio ratio, cur Hermunduri in unam admitterentur, excluderentur reliquis.

Maneat ergò, quod ex Tacito posuimus, Coloniam Augustam appellatam ex Ptolomæo cognoscimus, Vindelicorum ille, Rhætorum alii dixêre; ambobus rectè tribui ex iis, quæ disputata sunt, intelligitur - - -

Ideò

Ideò rectè conjunxit Notitia Imperii, quô locô Auguſtam Vindelicenſem Rhætiæ urbem dixit, nam inepta eſt quorundam diligentia, qui ex una geminam conſtituere maluêre, Vindelicorum autem Auguſtam eſſe, quam Tacitus Rhætiæ Coloniæ circumlocutione deſignaverit, neutiquam obſcurum. Siquidem ſplendidiſſima Colonia Provinciæ Caput extitit, & in ea cauſa Auguſta omnino. Mitto nomen nullo argumentorum ambitu ſuffultum de primaria urbe fidem facere. Cæterùm acceptamus de Cognomine Coloniæ Vindelicorum ſententiam quando nihil in omni hiſtoria frequentius, quàm principes urbes: populorum nominibus appellatas obſervare; Et illud: *Et princeps Provinciæ Civitas Auguſti honori hunc in modum ceſſit, minoribûs oppidîs privata victoriæ monumenta fixêre Nerones - - - Tiberina, Druſomagus* &c. f. 50. f. 52.

Ut autem omnem nobis ſpem Coloniæ in Alpibus noſtris adimeret, etiam penè fundos pro Veteranis nobis ademit, dum agros defuiſſe judicat, qui Veteranis aſſignarentur, ait enim:

Ad meridiem Rhætiam ab Alpibus initium ſumpſiſſe, neque profectò ullum Veteranorum in iis (quamquàm in Alpes quoque Sacra Epiſcopi nunc penetrent) agros accepiſſe, quin ad hunc locum pertinet, quod Hygenus quondam dixit: Rupium multitudo limites accipere propter loci difficultatem non potuit. Et Aggenus - - - quia dum non eſſet, quod excoli potuiſſet, nullis neceſſe fuit limitum regulis colligari. f. 59.

Admittimus cæteroquin firmatum à V. C. exemplîs ſententiam perlubenter: *Quæcunque urbes Auguſtæ à populis Cognomina accepêre, iſtorum eas populorum principes fuiſſe & Capita.* Solam item Auguſtam Vindelicorum ſupereſſe, quæ nomen non mutaverit, reliquas periiſſe funditùs: Colonias omnes urbes dici: In his multa ſubruiſſe manus inimicas, quædam amicas: Mirari tamen ſubit, cur Curiam ſine hoc Auguſtæ nomine Caput, aut ſaltem Tribunal Rhætiæ primæ hîs ſtatuat: *Primæ tribunal Curiæ fuiſſe & nomen indicio eſt, & quòd ea urbs perpetuò ejus provinciæ Caput habita; nam quòd quidem Conſtantii demum ætate conditam exiſtimant, infirmîs admodùm ſuſpicionibûs perſuaſi ſunt.* f. 83. f. 92. f. 129.

Cùm tamen aliàs Rhætiæ ſuæ principem (atque ita Caput utique non duplex) tantùm Auguſtam ſuam velit, ùt iterùm l. 7. aſſeverat: *Minùs forte aberrat noſtra ſuſpicio, adiiſſe C. Licinium Imperium in urbe Rhætiæ principe Auguſta.* Et hæc ferme ſunt, quæ Veldidenæ f. 130.

quoad Authoritates obverſari videbantur: præter ordinem autem & illud notandum, quòd Velſerus iteratò velit Rhætiæ I. & II. diviſionem ab Hadriano eſſe, & hinc ex illo ævo (ſuppreſſo Vindelicorum vocabulô) ſæpiùs dehinc tantùm Rhætiæ ſolius, & ſuæ præcipuè Campeſtris mentionem recurrere.

CAPUT XII.

Allati à Velſero Nummi deſcribuntur.

POſtquàm ea, quæ ſecundùm Authorum placita congeſſit inſignis Patriæ ſuæ Scriptor Velſerus, ſuis è locis cum fide excerpſimus: Juvat & nummos, firmandæ rei ſuæ hinc inde adjectos, inſpicere. Et primum quidem, quo Conditoris memoriam
f. 61. innovare ſe rite opinatur, argenteum affert, in quo à fronte *Nero Claudius Druſus Germanicus Imp.* comparet: à tergo Rhenus urnæ ſuæ liberaliter aquas promenti innixus, arundinémque tenens exhibetur: ad res Auguſtanas hunc aliàs pertinere cautè non dixit Velſerus, cùm bellum Rhæticum, quod Druſo primum fuit, illi Germanici titulum nondum adjecerit: Deductionis tempus ex nummo æreo detexit, in quo Auguſtus *Tribunic. Pot. IX. Cos. XI.* & bos deductæ Coloniæ ſymbolum *P. Quin. Varo. M. Titio L. Cor. Balbo IIviris* in facie altera nominatis. Hic igitur nummus Duumvirorum Coloniæ, Magiſtratûs authoritate percuſſus aſſeritur: *Id temporis*, addit, *Coloniam illam deductam nemo opinor certô teſtimoniô approbabit, anno nimirùm V. C. DCCXXXIX. V. Kal. Jul.* Annô dein à Co-
f. 114. lonia deducta ſextô aureum affert hac Inſcriptione: *Auguſt. Tr. Pot. XIV. Cos. XI. Imp. XIII. PP.* Pars altera nummi Conum refert hiſce cum verbis: *Ti. Semproni. T. F. Gracus Leg. Procos.* Nummum hunc Auguſtæ ſignatum credidit, *cùm non ſit credibile, Colonicos nummos extra eam Coloniam, cujus aut nomen, aut ſymbolum gerunt, percuſſos: Et quia Notitia teſte Præpoſitus Theſaurorum Auguſtæ Vindelicenſis vectigalibus, & pecuniæ ſignandæ præfuerit: Neque illis accedo*, pergit, *qui per-*

perpaucis tantùm locis, quibus Notitia Procuratores constituit, pecuniam percussam sentiunt, cùm Numismatum Notæ pleraſque præterea urbes indicent. Inventa Constantii Londinio - - - - - cùm tamen Notitia Procuratorem monetæ in Britannia nullum habeat. Contendit hîc insuper Velserus Germaniæ à Druso devictæ memoriam haud servare hunc nummum, licèt illa aliàs *abiete* notetur; devictorum enim populorum trophæa alatæ victoriæ, captæ provinciæ Matronarum specie, captivi supplices &c. arcuum fornices, & quadrijugi Currus signa esse; hinc potiùs ad Coloniam Augustam pertinere: ad Annum sequentem hunc nummum describit: *AVG. Tr. Pot. XV. mulier quadrata sellæ insidens turribûs comas cincta dextrâ pineam nucem, lævâ Cornucopiæ ostentans planè florentis, quiescentísque Coloniæ haudquaquam barbaræ & hostilis bellô oppressæ provinciæ signa prætendit.* Et paulò post: *Jam unum non invitus concesserò, coniferam Imaginem non tantùm Coloniam Augustam, quamquàm hanc inprimis verùm Rhætiam quoque omnem designare.* Ad annum Coloniæ octavum sequentem Augusto inscriptum refert, additis insuper titulîs *TRI. POT. XVI. COS. XI. IMP. XIV.* Ex altera autem facie: *TI. SEMP. TI. F. GRACCVS. II. VIR. ITER.* boves & bijugos agens comparet additâ inferiùs nota: *COL. IVL. AVG. EX SC.* cujus nempe Augustæ suæ cùm Præsidem hunc Gracchum faciat, mox addit: *At si hactenus Rhætiæ Præses: quænam alia à Vindelicorum urbe Colonia Julia Augusta? - - - quin satis credo, Colonias Augusti Julium nomen omnes asciviſſe* &c. Et rursus aureum Augusti, cujus facies altera Currum quadrijugum triumphalem (cui strobilus impositus) exhibet, inscripta: *Cos Iter Imp. Iter. Ti. Claudo Ti. F. Nero. Qui hôc annô de Germanis triumphavit; Apertè noster*, (pergit Author) *quî enim ad Germaniam hunc strobilum vocemus, cùm utique rei natura devictarum gentium symbola triumphantium Curribus imponi cogitare non patiatur rectè illud: imponi eorum symbola, qui nummos signavêre - - - additâ pineâ nuculâ nummus ubi percussus est, significârunt.* Augusti dein nummum septimum æreum cum nota Consulatûs XII. junctîs binîs manibûs caduceo intermedio bina Copiæ Cornua tenentibus cum Inscriptione: *Col. Jul. Aug.* producit, *quem nobis*, ait, *eò minùs audacter vendico quòd pleræque Coloniæ Juliæ Augustæ: indicandus tamen visus, quoniam & nostra inter illas.* Ultimum, quem affert, Num-

f. 116.

f. 118.

f. 119.

f. 130. Nummus Hadriani eſt, *Exercitum Rhæticum* alloquentis, per tria ſigna militaria, ſine aquila, expreſſum: ob profectiones in provincias, qua Rhætiam attingere potuit, ſignatus.

f. 34. Demum etiam alibi Auguſtam, ſolam Rhætiæ Coloniam ex his affirmare, alias verò ab aliis allatas rejicere non dubitat; *quòd Lapidum*, ait, *nummorúmque Inſcriptiones, & ex iis complures Rhæticas Colonias objiciunt, intelligant de quibuſdam non conſtare, an ad Rhætiam & Vindeliciam omnino pertineant.* Iterúmque: *Accedunt Nummorum Inſcriptiones, in quibus Coloniæ dignitas clarè, ſi Exſcriptoribus fides conſtat, mihi neque nummos neque eorum delineatam ſpeciem videre contigit.*

f. 273. Ad calcem denique operis, cæteroquin omnibus numeris abſoluti, duos adhuc nummos ex Golzio adfert, addit tamen (ùt planè in omnibus, ita etiam in his ſummæ & antiquæ probitatis ac ſinceritatis vir eſt Velſerus, omni ſanè encomiô major) ad rerum Vindelicarum Rhæticarúmque à Panvinio & Golzio collectas aſſulas nummos binos: *ſed præmoneo*, inquit, *Golzium Litteras non ſemper ad marmoris exemplar reddidiſſe, ſed ſupplêſſe interdum & explicâſſe ex ingenio verba contractiùs per compendium ſcripta, cui Inſtituto ſi tantillum audaciæ accedat, magno antiquæ puritatis periculo fiat, neceſſe eſt.* Golzius igitur in theſauro rei antiquariæ Cap. 18. ex Tiberii Nummo:

Col. Auguſta Vindelicor.

Et ex alio ejuſdem Tiberii:

Col. Auguſta Rhætorum.

De hoc adhuc majus illi dubium ſuboritur, mox enim inſtat: *Aperio quid, neſcio, quàm verè veriſimiliter ſentio: Hic ipſe Golzius auctor, extare Tiberii Nummos à tergo: Col. Aug. Prætor inſcriptos, horum aliquis rubigine exeſus, Conjectorem audacem impellere potuit, ut parum mutatis primis Litteris vetuſtate fugientibus Rhætor ſubſtitueret, ſuſpicioni viam munit R. Litteræ aſpiratio, quòd ſcilicet extritis duabus in Præt. ſimplex R. ſpatium explere non videretur.*

CA-

CAPUT XIII.

Monumenta Velſeri per ſynopſin enarrantur.

POſt authorum ſenſa & uſum, poſt deſcriptas ac delineatas Impp. in nummis Imagines ingenti Lapidum apparatu tum Auguſtæ, tum in agro & omni circum vicinia Auguſtana labore improbo, ac perutili conquiſita nos recreat Inſignis prorſus antiquitatum Collector, & Interpres Velſerus: quos ne longior ſim, in brevem ſynopſin redactos referre aggredior, atque ut à Jove, & ordine Deorum reliquo principium faciam, monumenta hîc proſtant: JOVI CONSERVATORI ET DIIS LOCI: APOLLINI GRANO, MERCURIO, MARTI, PLUTONI ET PROSERPINÆ, PARCIS ET PERPETUÆ SECURITATI poſita: poſt Deos domus divina locum habeat, familia nempe Auguſta: MATIDIÆ nimirum, SA- f. 225.
BINÆ Hadriani Auguſtæ Conjugis ſorori, & L. Septimio Severo ſacrum marmor occurrit, utrumque tamen temporum injuriis divexatum: Integrum vero magis IMP. CÆS. M. ANTONIO GORDIANO PIO &c. RESPUBLICA erexit, quin & Lapis comparet, CONSULIBUS GENTIANO ET BASSO notatis eximius. Poſt familiam Cæſarum ſuus dandus eſt Magiſtratibus locus: Prodeunt igitur SEXTUS ATTONIUS PRIVATUS CIVIS TREVIR. IIIIII VIR f. 207.
AUGUSTALIS, mox: APPIUS CLAUDIUS LATERANUS XV. SACR. FAC. COS. DESIGN. LEG. AUG. PR. PR. LEG. III. ITAL. Et: DIONYSIUS LEG. AUG. PR. PR. tum fragmentum ex æde f. 246.
Litteras exhibet: ANTONIO ÆLIANO, EQUITI ROMANO, DECURIONI MUNIC. ÆL. AUG. inſcriptas; alius quoque municipii hujus Decurio C. JULIANUS JULIUS IIII. VIRALIS SE- f. 217.
VIR. AUGUSTALIS TIB. CLEUPHAS fuit: à Magiſtratu Civili aut mixto ad militarem progrediamur, & iterùm Auguſtæ JULIUS f. 218.
CLEMENS AQUILIFER LEG. III. ITAL. repertus fuit: Saxúmque ibidem aliud in urbe Tribuno erectum: C. MAGNANIO JUSTO T. LEG. III. ITALIC. Et aliud in agro: M. ULPIUS SECUNDUS

T. LEG. III. ITAL. Et iterùm aliud Librario Consulis JUL. AMANDO MILITI LEG. III. ITAL. diversúmque ab hoc: DECURIONI AL. III. ET B. F. COS. inscriptum: Post milites gradu aliquo insignes dandus est veteranis locus; adsunt igitur inscripti tumuli: SILVANO VETERANO MIL. ITAL. TIBERIO ACUTIANO URSACIO VETERANO. JULIO MACRIANO VETERANO. Et tumuli author. C. ÆMILIUS CALPURNIAN VET. ET JULIUS AMANDUS MIL. LEG. III. ITAL. Sequuntur milites reliqui. SUCCESSUS nempe ILVINI FILIUS EQ. AL. AUG. & FLAVIUS DECORATUS MIL. LEG. III. ITAL.

f. 223. f. 227. f. 256. f. 257. f. 225. f. 230.

Et hæc sunt, quæ Augustæ Vindelicorum Coloniæ propria fuisse aut etiam esse potuisse minimè diffitemur: Monumenta enim, quæ his subnectit peregrina, nisi Augustam Vindelicorum aut Vindelicos apertè prodant, ad Augustam pertinere, nemo facilè concedet, & nos concedi haud posse, infra commonstraturos speramus: Seligemus hîc tamen, quæ ad Augustam certò, utì & ea, quæ ad controversiam nostram spectant, per compendium, ne alibi repetenda nobis sint. Primus, qui ad Augustam certò pertinet, Lapis Romanus est C. JUL. VETTIO AUG. VINDELICUM MIL. ET LEG. VIII. AUG. positus in Reginoburgensi. VINDEL. SURINUS iterùm in Romano: MACRO GERMANICIANO TI. CÆSARIS GERMANO NATIONE VEIN. In Trophæo Alpium de gentibus Alpinis devictis: VINDELICORUM GENTES IIII. intérque hos LICATES occurrunt: tum Lapis Veronensis: Q. CÆCILIO CISIACO SEPTICIO PICÆ CÆCILIANO PROCUR. AUGUSTOR. ET PROLEG. PROVINCIÆ RHÆTIÆ ET VINDELICIÆ, ET VALLIS PÆNINÆ &c. erectus. Paulò pòst etiam quatuor ingentes variis in locis & à variis dedicatos eruit: T. VARIO CLEMENTI RHÆTIÆ PRÆFECTO &c. His de variis muneribus Legionis tertiæ Italicæ marmora jungit in Lapide nimirum Brigantino: SEVERIUM SEVERIANUM SUB COS. LEG. III. ITAL. in Romano: GNEIUM POMPEJUM POMPEJANUM EQUO PUBLICO TRIBUNUM LEGIONIS III. ITAL.

f. 261. f. 263. f. 264. f. 265. f. 268. f. 271.

Tridentinum (qui certè ad nos) alibi integrum dabimus, nunc iterùm in Romano: CN. CLAUDIUS CN. FILIUS TRAL THALLUS TESSERARIUS IN LEG. III ITAL. DANUBIANUS: MILES LEG. III. ITAL. AB EXPEDITIONE BURICA REVERSUS. In Cellejano:

no: SECCIUS SECUNDIN. VETERANUS LEG. III. Cæterùm etiam ad calcem ex Panvinio quædam affert, quæ ſic habent: COL. AUG. VINDELICORUM. Et ex Golzio: LEGIO X. VINDELICORUM VICTRIX, AUXILIA VINDELICORUM, COHORS XIV. VINDELICORUM. Rurſúmque ex Panvinio & Golzio: COLONIA AUGUSTA RAETORUM. LEGIO VI. GEM. RÆTICORUM. COHORS VI. RAETORUM. ANNONA LEG. III. ITAL. Sed cùm de utriuſque Authoris fide ſubdubitet ipſe Velſerus; nollem & ego hîc quidquam ſuperſtruere, etſi partibus meis favere pleraque videantur, ùt paulò inferiùs planum facere conabor.

Et hæc ſunt, quæ ex nobiliſſima hac Antiquitatum penu (ad quam Lectorem Benevolum, ne eundem hîc citra Inſtituti noſtri neceſſitatem diutiùs moremur, remittimus) depromenda judicavimus. Attulit quidem Illuſtris Author anaglypha, & alia complura, præcipuè Lythoſtroton ſeu opus muſivum ac teſſelatum. Sed hæc Auguſtæ ſuæ ornamenta illi meritò gratulamur, nec in litem vocamus. Solus Conus nucis pineæ Columnæ Capitulari impoſitus & alius minor inter Duumvirorum monumenti ornamenta ſeu parerga occurrens nobis Religionem injecit, an pro certo Vindeliciæ teſtimonio Authori, omni cæteroquin exceptione majori, ſervire poſſit, de quo ſuô locô ſermo nobis rediturus eſt. Monumenta nimirum Auguſtana Velſeri.

CAPUT XIV.

Reſpondetur Authoritatibus à Velſero allatis.

LUſtravimus inſtructiſſimum Velſeri promptuarium, imò & delibavimus, illa præcipuè, quæ nobis minùs ſapere poſſent. Vidimus hactenus inconvulſa excipi hæc Viri, cæteroquin magni, dicta ferè ab omnibus: *ſed mirari non debes corrupta excipi non tantùm à Corona ſordidiore, ſed ab hac turba quoque cultiore.* Digniores tamen, quibus ignoſcas, cùm tanti Viri aſſerta ſequantur, Senec. ep. 114.

qui ſi provinciam noſtram, ubi tenebras ſibi eſſe ingenuè fatetur, nec perfunctoriè, nec ſemel luſtrâſſet, nomina antiqua ex Tabulariorum fide, & diverſarum linguarum inflexionibus, imò & Sæculorum corruptionibus combinata ad antiquiſſimorum Authorum fontes reduxiſſet, tunc enimverò aliter paullùm fermocinatum fuiſſe, perſuaſiſſimum habeo: *adeò nullum*, pergit rurſum Seneca, *ſine venia placuit ingenium, da mihi, quemcunque vis, magni nominis virum, dicam, quod illi ætas ſua ignoverit.* Dicam igitur & ego quid Velſero ætas noſtra poſſit ignoſcere. Et inprimis quidem utramque gentem Rhætos & Vindelicos in multos minutos populos diviſam fuiſſe ex vero pronuntiat: *ſed nemo hodie eſt*, (addit) *qui ſingulorum ſitus ſe exactè deſcripturum verè promittat;* Quod autem à vero abludere, ſatis luculenter vel exterus ſummus nempe Geographus Cluverius docuit; qui decenniô à doctiſſimi Viri (Velſeri nimirum) obitu, inſpectâ priùs Rhætiâ ac Vindeliciâ, collectiſque Authorum ſenſis non incongruas cuique populo ſedes attribuit, dum in Italia antiqua Alpes omnes incredibili labore ac ſucceſſu excuſſit, quid jam Civem præſtiturum credis, ſi non iratis fortè omnino Muſis his etiam Lapides, Manuſcriptos Codices, & Archivia cum iteratis Itineribus accederent? Sed hæc in alium locum & tempus meritò, cùm vel integrum librum expoſcant, rejicienda cenſemus: Velſero tamen vel ideò difficilior res viſa eſt, cùm pleraque circa Auguſtanam viciniam antiquiora nomina hodie evanuerint, aut prorſus incerta ſint: Longè aliter autem ſe res apud nos habeat, quod ſuô jam ævô ex Lazio potuiſſet intelligere. Dubiam certè in his fidem (non dico in aliis, in quibus forte juſtiùs in illum & Velſerus & Lipſius invehuntur) non meretur, cùm Regionem ipſam, ùt non ex vano ſuſpicor, coràm inſpexerit, *appellationes*, inquit hic: *per Carnos Tyrolenſéſque, tractibus terræ paſſim manent, etſi à Romanis corruptæ, incolis inditæ fuerint.* A terris autem, imò montibus, vallibus, atque fluminibus, populis noſtris nomina eſſe indita, aut viciſſim ab his illas recepiſſe quis vel hodiedum non perſpicit? nec *nimioperè hæc diſſentiunt, nec diſcerni aut cognoſci poſſunt, ad quam ex alterutra gente pertinuerint*, ùt erroneè Velſero viſum: cùm id etiam Cluverius ibidem ſolidè omnino more ſuo præſtiterit; Dein quod Rhætiæ accidiſſe idem afferit, *quod pluribus aliarum Regionum nominibus, duplicem nimirùm ſignificationem recipere: totum tractum ſimul & partem ſimul etiam*

Ibid.

etiam majorem eſſe, & Vindeliciam complecti. Quo authore id comprobat? nullum certè nec Auguſti, nec Hadriani ævo afferet: ſcio quid dicam, ſingulos conſului, & infra etiam univerſos adducam: imò hi omnes Rhætos ac Vindelicos apertè diſtinguunt: nec tam ſimplex, apertus & certiſſimus Horatii ſenſus eſt, aut rationes Velſeri aptè confirmat. Habuerit ſanè impreſſum aut ſcriptum Codicem hic Author, in quo legerit:

Vidêre Rhæti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem Vindelici.

Inſupérque dicat, Copulam *ET.* ab optimæ notæ Codicibus, & ab Horatii mente abeſſe: Verùm & ego ad Editiones provoco (manuſcriptos enim hujus generis Codices haud vidi etſi medii ævi etiam ad Caroli M. tempora accedentes non deſint huic provinciæ complures manu exarati Authores) Et quidem ad horum manuſcriptorum Codicum fidem ſedulò excuſſos provoco, imò rem ad oculum demonſtro, editiones affero, quæ cum in omnium manibus eſſe poſſint, ulteriori certitudine haud indigent: Dilingana de anno 1585. in 8vo, & de anno 1722. Colonienſis P. de Mares 1664. item P. Juvencii Romana, & denique præſtans illa Dacierii ac Deſprezii juſſu Regio ad uſum Sereniſſimi Delphini adornatæ, atque hæ binæ ultimæ etiam allatis Interpretum rationibus omnes *Rhæti & Vindelici* habent, quos populos per particulam *Et* geminandos contra Acronem & Porphyrionem acriter quoque contendit Glareanus Vir harum Regionum peritiſſimus: locum hunc pariter in menda cubare, nec contra tot bonos Authores admitti poſſe, præſertim cùm Codices aliqui, & in aliis Battelianus adſtipulentur, limatiſſimus Bentlejus pluribûs agit. Authores verò ipſos mox inferiùs promam. Poſt Horatium jam Horatii interpretes laudat Velſerus Acronem, Porphyrionem & Servium, qui omnes, ùt ait *Rhætos-Vindelicos* velint. Intereſt autem hos ipſos in fontibus conſulere; Acron igitur ita in hunc locum commentatus eſt: *Talem Druſum vidêre Rhæti, Vindelici Barbarorum gentes.* Porphyrio verò ſic: *Scripta eſt ergo* (hæc ode IV.) *in Neronem Druſum privignum & ſucceſſorem Auguſti, qui Rhætos Vindelicos bellô vicit.* Et iterùm paulò poſt: *Hi Vindelici ab Amazonibus rejecti è ſuis ſedibus, & ex Thracia in exilium ſe contuliſſe aliò, inque jugis inſediſſe dicunt, & quòd potiſſimùm in ſe tela ſecuréſque*

Edit. Baſil. 8. 1537. p. 502. Edit. Venet. f. 1506. f. 87.

réſque Amazonum experti fuiſſent, ipſos uſum earum in bello accepiſſe. Sed quemadmodum hanc fabulam ipſe Velſerus detrectat: ita editi cum hoc ipſo Porphyrione Horatii interpretes Aſcenſius & Antonius clariſſimîs verbîs deſuper Porphyrionem configunt, & utrumque interjectâ Copula *ET* à ſe invicem disjungendum eſſe comprobant, Acroni & Porphyrioni Velſerus Servium junxit, ſed non integrum ita enim eundem ad Virgilium lego:

L. 1. ad Æn. v. 247.

- - - atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi.

f. 262. edit. Comel. L. B. 4. 1646.

Ideò tuti, quia Rhæti Vindelici ipſi ſunt Liburni, ſæviſſimi admodùm populi, contra quos miſſus eſt Druſus, hi autem ab Amazonibus originem ducunt, &c.

Hem! quot fabulas pauca hæc verba complectuntur? quàm mirè inſaniunt ficulnei hi Scholiaſtes, ùt illos meritò compellat Bentlejus! quis Vindelicos, imò Rhætos ipſos Liburnos eſſe ſomniavit? imò ab Amazonibus originem ducere ipſe Velſerus (ùt dixi) fabulis meritiſſimè accenſet, & cur non priora? quadrârunt nempe *Rhæti Vindelici*, non autem *Liburni*, hinc omiſſi: quomodò autem hæc ſatìs clara & firma ſint, non diſpicio, utì nec illud: *Unus Præſes præfuit, utroque populo in unam provinciam Rhætiæ nomine coacto;* iterumque: *Rhætiam propriam & Vindeliciam in unam provinciam coiviſſe pleriſque teſtimoniis confirmare poſſum, quibûs ùt in re clara abſtineo.* Ego ſanè ùt jam dixi, nullum omnino ante Conſtantini ævum vidi, ſemper Rhætiam à Vindelicia diſtinctam lego, imo & poſt illud, teſte in hac re Pancirollo omni exceptione majori ad

f. 152.

Celebrem illam Imperii dignitatum notitiam: *Hæ duæ Regiones* (Rhætia I. & II.) *à duobus Præſidibus adminiſtrantur*, licèt quòd Præſidem attinet, non invitus cum Velſero concedam, uni ſæpiùs Præſidi utramque committi potuiſſe provinciam; Si tamen unquam ſeparata ab Italia Provincia fuit, & non potiùs, quod veriùs exiſtimo, huic accenſa vix unquam Præſidem, ſed Magiſtratus duntaxat extra ordinem pro diverſa rerum indigentia acceperit: quod ex Authorum Lapidúmque à me probiter excuſſorum veriſſimum puto, & contra torrentem hactenus niti atque adſtruere auſim; nullum enim ibi unquam Præſidem, ſed omnes, eóſque duntaxat Magiſtratus lego, qui extra ordinem mitti ſolebant, quales ſunt, etiam in his

his non pauci Legati, Pro-Legati, Pro-Prætores, Procuratores, Duces & Judices tantùm, à primo ad quintum usque sæculum: Cæterùm nec author ipse diffitetur de Vindelicorum origine primos scripsisse Servium & Porphyrionem, cùm tamen ille: *ùt est notissimum, floruerit imperante Theodosio*, sæculo primùm quarto, & hoc jam exeunte, post Augustum nimirum; hic verò Grammaticus incertæ prorsus ætatis sit: *imò ejus & Acronis Commentaria si non Authorem mentiri, saltem miserè truncata & interpolata ad nos perveniisse feruntur:* Miror sanè virum aliàs perspicacissimum his authoribus innixum, cùm tamen ipse pro candore suo fassus sit, *Rhætorum jam olim Polybium apud Strabonem meminisse:* quem Scipio Africanus bello jam Punico tertio in Africam duxisse Vossius Author est; ut adeò plusquam centum ante Augustum jam annis eundem vixisse constet, quo sanè tempore nulla adhuc Vindelicorum mentio uspiam reperitur; Imò idem Clarissimus Vir varia de Rhætis testimonia ad tempus Polybio & Julio Cæsari intermedium affert, quæ ad Rhætos Italiæ & Galliæ imminentes pertinere cum fide asserit, in quibus nulla adhuc de Vindelicis deprehenditur Litterula: Scriptores Augusto coævi primam eorundem mentionem, sed diversam semper à Rhætis, ingerunt, quos suô locô curatè dabimus. Cæterùm suspicio, quam addit, placet omnino, hos (Vindelicos nempe) illis (Rhætis) quandoque auxilia submisisse, imò cùm gentem utramque diversam sed limitibus saltem suis vicinam ac conjunctam fuisse pateat, bellô illô Augusti, aut etiam priùs fœdere quoque sociatam non ineptè quis dixerit, devictósque tum à Mario Consule *Stonos* seu *Stœnos* ùt Fasti habent (Rhæticam in Tridentinis Alpibus gentem) tum Rhætos à L. Munatio Planco, teste Lapide, incertum tamen ubi, debellatos sibi vires ac Socios ad irruptiones in Italiam subin faciendas ictîs fœderibûs quæsisse. Dein quod Tacitus, qui ad exordium Sæculi secundi, Dio, qui ad tertii scripsêre, plerúmque Rhætiæ nomine utantur, atque illud Vindeliciæ paulatim desuetudine obsoleverit, universim verisimilius mihi haud videtur, nam & Vindelicarum Cohortium primus meminit: alter de Rhætis præcipuè loquitur, Alpium Tridentinarum incolis, ex Italiæ finibus prædas agentibus, & ad has à Druso devictis submisso deinde Tiberio, qui in Lacu Brigantino, & justa in Campis Licatibus acie utramque gentem domuit, nec Rhætos ampliùs nec Vindelicos, sed

Fabric. Bibl. Lat. p. 188.

Idem p. 237. & 238.

De Hist. Græc. l. 1. f. 123.

à f. 20.

sed barbaros appellat; taceo, quòd cùm Drusus & Tiberius à Dione simul multis in locis in Rhætiam irrupisse, Rhæti autem præcipuè in Alpibus Italiæ vicinis habitâsse dicantur, res de lacu tam Acroniano, qualem Strabo, & ex eo Velserus describit, quàm etiam de Benaco, quem forte Dio & post illum Illustrissimus Maffejus intelligit, vera esse possit, ut adeò Dio de Vindelicis verbum haud fecerit: Licet ejus verba de Lacu Brigantino ob consensum aliorum Scriptorum meliùs de Lacu Brigantino explicari posse ipsus non abnuam. Dein quidsi uterque Rhætorum per antonomasiam utpote gentis præcipuæ & jam per integrum priùs Sæculum ante Vindelicos à Romanis hinc inde tentatæ, & partim devictæ, aut certè nobilioris, & antiquioris meminisset, fœderatæ verò afferre memoriam haud admodùm necessarium duxisset? quidsi Dio tertio jam sæculô industrius quidem, sed Græcus Scriptor gentis duntaxat sibi notioris nomine fuisset contentus? Quod verò de *Splendidissima Rhætiæ Colonia* Tacitus affert, res quidem esse videtur altioris indaginis, nam si Augustam Vindelicorum intelligit, ea tum in provincia Rhætiæ non fuit; cùm Lapides Tacitô multùm posteriores, ùt infra videbimus, & qui citra exceptionem omnem legitimi, singulorum oculos in locis publicis Veronæ & Vindobonæ provocant, omnes adhuc habeant:

RHÆTIÆ ET VINDELICIÆ.

Ex quo clarum utique fit, Tacitum fortasse non Augustam, sed Coloniam nostram Veldidenam intelligere potuisse, quæ re ipsa Rhætorum fuit, & de qua verba hæc: *non in ripa commercium, sed penitus* multò magis, quàm de vicina Augusta Vindelicorum accipi possent; cùm enim Italiæ accensa fuerit Rhætia ac Vindelicia, ùt etiam ex Notitia adhuc & Libello Provinciarum, luce meridiana fit clarius, nunquam illis provinciæ nomen convenire, aut certè in proprio sensu accipi non potest: si verò illam Vindelicam certò intellexit, mallem ego verba hæc ex primo Codice Corbejæ reperto à Germano quodam sæculi circiter quarti aut posteriorum Librario ad illius ævi stylum, Rhætiæ nempe secundæ, aptâsse: solùm enim Tacitum reliquis omnibus tot ac tantis sæculi sui Scriptoribus, repugnante insuper Lapidum fide, præferre non ausim. Nemo porro Scriptorum, nummorum, lapidum hanc suam *Augustam*, (utì sanè oportuisset)

tuiſſet) unquam *Auguſtam*, (Coloniam ſcilicet) *Rhætiæ*, ſed conſtanter *Vindelicorum* compellant: Dein plures in Tyroli noſtra, Rhætia ſcilicet, Colonias fuiſſe Lapis vel hodie Tridenti ſpectabilis de hoc ipſo Tridento (quod tamen ſemel duntaxat in Itinerario Antonini ab Opitergio nimirum terminus eſt) fide certa nos edocet, ita enim ille, ùt nos ipſi coram inſpeximus, imo Ipſe V. Cl. Velſerus inter monumenta peregrina attulit, ſi ergo vidit, & Coloniam in eo viderit, neceſſe eſt:

C. VALERIO C. F. PAP.
MARIANO
HONORES OMNES ADEPTO TRIDENT. FLAMINI ROM. ET AVG. PRÆF. QVINQ. AVGVR. ADLECT. ANNON. LEG. III. ITAL. SODALI SACROR. TVSCVLANOR. IVDICI SELECTO DECVR. TRID. DECVRIONI BRIXIÆ. CVRATORI REIP. MANT. EQVO PVB. PRÆFECT. FABR. *PATRONO COLON.* PVBLICE.

Quo ſolo lapide certum fit, unicam in Rhætia Coloniam Auguſtam non fuiſſe, cùm & Tridentum certa fuerit Rhætiæ Colonia: Auguſtam verò ſuam Rhætorum Coloniam quinam alii dicant, ùt vult Velſerus, quem habeat ex Romanis Scriptoribus, libenter intelligam, & mox vinctas manus dabo, nam Notitia ſub diſpoſitione Viri Illuſtris Comitis Sacrarum Largitionum ponit quidem Præpoſitum theſaurorum Auguſtæ Vindelicenſis *Rhætiæ*, ſed addit, quod Velſerus omiſit, *ſecundæ*

Veruntamen nondum acquieſcit Vir doctiſſimus, ut enim Auguſtam ſuam unicam Coloniam totius Rhætiæ fuiſſe oſtenderet, alias omnes dejiceret, duplici ariete utitur; in Alpibus non fuiſſe Veteranos, inquit, quaſi inferret, nullam igitur ex Veteranis deductam Coloniam, & Alpes, nec limites potuiſſe recipere, nec excoli: hoc eſt, ſi rite auguror, agri non fuêre, qui potuiſſent Romano more Veteranis aſſignari. Dedocere tamen illum hunc errorem (etiam ſi Lazio fidem habere noluiſſet, quamvis fidiſſe credam) Ap-

pianus Profeſſor Ingolſtadienſis potuiſſet: qui lapidem non longè à Suazio collocat, ad agros, ùt puto, Veteranîs Veldidenam deductîs, aſſignatos, & ita deſcribit:

T. F. CAMPESTRI
NVS VET. ET IVL
EXORATA
IVL. EXORATO
LIB CONI FIL
OB ANN XX.
ET SECVNDINO
CANDIBIANO
CONIVGI
GENERO
VIVI FECERVNT.

Has tamen, quæ ſequuntur, cùm nec ſuo, nec noſtrô etiam ævô publici juris factæ ſint, citra culpam ignorare potuit Velſerus: prima Tridenti occurrit hujus tenoris:

G. V. QVINTINVS
FILIVS C. V.
FIRMI VETERA
N. CHORTIS IIII.
IRMANINIA QVAR
TI FILIA TEDA
MATRE VIVVS
FECIT SIBI.

Altera in Caſtro Stenico Epiſcopatûs Tridentini (videntur de Stonis, aut ùt alii meliùs legunt, Stœnis reliquiæ) ad murum Sacelli D. Martino Sacri:

- - - - - - I
M. VLPI
BELLICVS
VET.

VET. LEG.
XXX. V. V. SIBI
ET SVIS.

Vidimus Veteranos; nunc utrum rupium multitudo limites accipere poſſit, videamus: Provinciam noſtram frumenti lectiſſimi fertilem nemo jam hodie negat, imò ſunt non imperiti quidam, qui populoſæ huic genti ſine exterorum auxilio frumentum, quod in noſtris agris Rhæticis naſcitur, ſufficere credunt, ſi prohibitio in valle præcipuè Venuſta, ne ad Griſones tanta in copia exportaretur, aut utilis aut neceſſaria foret: quod certiſſimum fore locorum periti contendunt, ſi paludes exſiccarentur, quas olim non adeò extenſas, latáſque fuiſſe fama refert, & reperta ædificiorum ingentia in his rudera docent: exſiccari autem poſſe complures præter Kircherum in Latio ſuo fusè de Pomptinis exſiccatis & ulteriùs exſiccandis agentem experientiâ teſte Batavi monſtrârunt: Sed miſſis hiſce recentioribûs antiquos conſulamus: Frumentum jam olim ex Rhætia ſecundô Oenô delatum Eugippius docet; ſolus enim in Tyroli Oenus eſt Rhæticus, extra illam Noricus & Vindelicus, aut, ſi Geographiam illius ævi ritè ſequi malis, partes Rhætiarum & Vindeliciæ ſunt & noſtræ, verba ejus hæc ſunt: *Igitur non multò poſt rates plurimæ de partibus Rhætiarum mercibûs onuſtæ quamplurimis inſperatè videntur in Littore Danubii, quæ multis diebus craſſa fluminis glacie fuerant conligatæ, quæ Dei imperiô mox ſolutæ ciborum copias fame laborantibus detulérunt.* Quin certiora adhuc ex vetuſtioribus afferemus; jam enim Polybius de Rhætis nondum cognitis Vindelicis hæc tradit: *Mediæ verò Con-Valles ab utroque Alpium latere læta paſcua, atque apricas arbores habent, & humano cultu digniora loca;* Strabo: *Tumuli, qui commodè coli valeant, valléſque benè conditæ;* Solinus: *Excipit ager Rhæticus opimus & ferax.* Et hæc de agris. MS.tum San-Gerorg. c. 3. l. 3. f. 92. l. 4. f. 313. c. 24.

Quòd Curiam Rhætiæ primæ Tribunal faciat, rationes pro ævo Romano nullas affert: Præſidis certè Tribunal non fuit, qui ſi etiam adfuiſſet, non uno in loco hærere illi fuiſſet licitum, ſed omnem obire debuiſſet provinciam, ùt ex quamplurimis Plinii II. Epiſtolis, & ſuâ me docuit Vir & Genere & Litteris ſummus Scipio Maffejus: noſtra autem argumenta, quibus moti Curiam Tribunal Veron. Illuſtrata à f. 185.

fuiſſe, impugnamus, ſingulari circa finem Capite afferemus: Nec indagare modò juvat, utrum infirmæ ſint de ævo Conſtantii ſuſpiciones, aut utrum Licinius Valerianus Auguſtæ Vindelicorum, an in alio apud Rhætias loco principe Imperium fuerit auſpicatus, quòd illi milites contracti undique apud Rhætias ob inſtans bellum detulêre, locum nec Aurelius Victor, nec alius quiſquam expreſſit: his, inquam non immoror, ne à lineis excidam.

CAPUT XV.

Utì & Nummi.

POſtquàm gravium Authorum verba perpendimus, etiam ad minutias deſcendendum eſt, ad nummos nempe, in quibus apex, numerus, imò Litterula omnis ad ſcrupulum examinanda venit, ne delicatis Rei Nummariæ Cenſoribus re vel minima non religioſiſſimè iterum, iterúmque ad trutinam revocata vel ſtomachum moveamus, vel litem graviſſimam. Sed eſt ſanè magnum aliquid in his antiquitatum reliquiis, ubi minimum quid negligitur: Hinc cautus admodùm Velſerus noſter extemplo addidit: *mihi neque nummos, neque eorum delineatam ſpeciem videre contigit.* Et in fine: *Cui inſtituto ſi tantillùm audaciæ accedat, magnô antiquæ rei periculô fiat, neceſſe eſt.* Verùm antequam de Nummis Auguſtæ Colonicis aliquid certi ſtatuamus, definiendum priùs tempus annúſque venit, quô in poteſtatem populi Romani Rhætia cum Vindelicis redacta eſt: quô ſemel ſtabilitô, etiam Coloniæ tempus, primíque ejuſdem parentis, ſi qui ſunt nummi, nobis certi fiunt. Velſerus non ſine ingenti labore & eruditione Anno U. C. 739. ante Chriſtum natum 13. Livio Druſo Libone, & L. Calp. Piſone Cæſonino Coss. bellum Rhæticum motum aſſerit; ad eundem annum, ſed locô cognominis Cæſonini Cæſorinum Conſulem, annum verò ante natum Servatorem decimum quartum Mediobarbus in editione Argelati Mediolanenſi, nullo tamen, qui hanc victoriam diſertè
p. 48. notaret, nummo conſignant. Vir inſignis J. A. Fabricius, qui ſingularem

gularem de Augusto Chronographiam contexuit, belli hujus primordia ad eosdem cum Velsero Consules & U. C. annum, ante Domini verò natales decimum quartum refert. Idem meus Stephani Dio (adscriptô ad marginem eodem U. C. annô) sub iisdem Consulibus tradit. Nec dissentit quoad Consules Sigonius, etsi erroneè anno U. C. 735. victam Rhætiam crediderit, nam hanc biennio pòst, nempe 741. ante Christum 13. Tiberio Cl. Nerone & P. Quintilio Varo domitam idem ibidem vult Fabricius, Joannes Masson in vita Horatii è diverso U. C. 739. & ante Servatorem nostrum 15. anno expeditionem in Rhætos & Vindelicos à Tiberio Drusóque auspiciis secundîs peractam præeunte Dione vult. Verùm hæc omnia anno unico cum gente bellicosa in diversis partibus, & Alpibus bellô difficilî, navibúsque fortè in utroque Lacu saltem Acronio à Romanis priùs haud navigato primùm fabricatis peracta fuisse vix credibile fit: atque hinc biennium Fabricii non statim rejiciendum putarem, præsertim quòd teste eodem Dione Augustus, (cùm fusi licèt justô prælio in Alpibus Tridentinis à Druso Rhæti nondum tamen herbam porrigerent, sed tremendîs Alpium receſſibûs & impositîs his arcibûs plus vice simplici, ùt Horatius canit, dejiciendîs tuti nihilominus Galliam urgerent) Tiberium primùm postea contra eos miserit: ut adeò Dionem tempus belli cœpti designâsse, & totum simul in continenti descripsisse à vero haud absonum videatur, etsi eodem ipsô annô finitum fortè non fuerit; ait enim: *eo tempore* (& non anno) *hæ res sunt gestæ* &c. *eapropter Augustus principiô Drusum & deinde Tiberium* &c. Et quamquàm etiam Strabo tetstetur, *quod horum omnium* (Rhætorum nempe, Vindelicorum Noricorúmque) *impudentissimas incursationes repressérit Tiberius, & ejus frater Drusus æstate una:* Id de incursationibus tantùm intelligendum censerem, cùm de domitis una æstate his populis simul omnibus hoc dici minimè queat; nam teste Cl. Hansizio Norici primùm anno U. C. 761. Christi octavo subacti fuêre: Ex hoc discordi annorum computo id tamen indubitatò colligitur, annum U. C. 739. vel 740. aut certò 741. ante Christum verò (si calculum quorundam recentiorum sequamur) 8. 9. aut 10. Rhæticô triumphô fuisse nobilem, quibus Augustus testibus Mezabarba & Eruditissimo Vignolio Imp. IX. Cos. XI. Trib. Pot. VIII. IX. X. & XI. iteratis testimoniis in nummis audit quamplurimis: His delibatîs jam ad nostra re-

In not. ad Liv. p. m. 1076.

l. 4. p. m. 375.

Germ. Sacra. Ti. f. 3.

f. 36. Diss. 2. Apol. f. m. 192.

revertamur nummiſmata; primum igitur, quem Velſerus produxit de Druſo nummum, in Conditoris memoriam ritè produxit, additus verò Germanici titulus nec Rhæticum nec Vindelicum dicit: Secus enim Rhenus ad nos potiùs, Rhætiam nempe primam, cui fontes cum Oeno & Atheſi noſtra debet, adſcribendus foret. Nummum alterum nec apud Mediobarbum, Patinum, Begerum aut Vaillantium invenio: Occo certè Medicus & Nummariæ Rei peritiſſimus Auguſtanus eundem pro decore Auguſtæ ſuæ adduxiſſet haud dubiè, nec omiſiſſet Mediobarbus Occonis Continuator, ſi in publicum unquam prodiiſſet: Qui autem apud Vaillantium *TI SEMPRONIVS IIII. VIR Q DESIG.* audit, ad Carthaginem & annum U. C. 725. pertinet, ùt ex Dione idem Vaillantius tradit. Verùm cùm exſtare nihilominus hic nummus poſſit, ajo, eundem annum domitæ Rhætiæ & Vindeliciæ ex amuſſim ad mentem complurium præſeferre; ſed cùm Coloniam nullam cognomine expreſſam Litterîs promulget, res prorſus incertiſſima eſt, an Auguſtam, an Veldidenam, an aliam loquatur; plures enim unnô annô deduci potuiſſe, aut etiam deductas fuiſſe Colonias cur ambo negemus? addo, pleriſque, quæ Auguſtæ nomen ſortitæ ſunt, Coloniis, aliud cognomen urbis aut gentis, quibûs differunt Auguſtæ, adjectum conſpici: ùt inſpicienti Nummos Auguſti Colonicos apud Mediobarbum patebit; ſi autem re ipſa extet hic nummus, & conditam Auguſtam deſignet; hanc gloriam Coloniæ huic minimè invideo, imò deſcriptam à me inter Viros eruditos controverſiam de anno nimirum ſubactæ Rhætiæ ac Vindeliciæ optimè componeret. Tertium quidem nummum Mediobarbus quoque exhibet, & quidem cum Nuce Pinea, ſed pace Litteratiſſimi Auguſtani dixero, rationes expeditas nondum eſſe, quòd *Pinus* hæc *Rhætica* certum ſit illô ævô Auguſtæ Vindelicæ ſymbolum, prout & ipſe Velſerus non invitus ſentit: in Alpibus enim noſtris fortè felicius creſcit, quàm in campis Lycatibus Nux Pinea; nobis proin, non Vindelicis hæc magis propria foret. Deinde fructus mallem Regionum, quàm urbium in nummiſmatibus eſſe ſymbola; Arabia quippe ramuſculos balſami ac thuris, Palmam Judæa, ariſtas Sicilia, flores Achaja, uvas Alexandria in auro, argento, ære oſtentant, ùt P. Ludovicus Jobertus è Soc. JEſu in Inſtructionibus Rei monetariæ edocet. Ego planè excuſſis Auguſti nummis Colonicis nullibi ſingulare aliquid aut præcipuum

Num. præſtant. p. 30.

Inſtr. 9. à p. 297.

cipuum urbi cuidam, ſed plerumque Inſignia, Capita & Symbola Principum, Inſtrumenta Pontificalia, ſigna militaria, oleas & lauros, Triumviros & Boves Coloniæ, aut denique portas, pontes, Caſtra cum animalibus Romæ & Principum deprehendi: ſi qui autem tutò hunc Conum Auguſtæ poſſint aſſerere, me non admodùm invito facient. Baſin cæteroquin & magnitudinem hujus in nummo Pini (ſi eſt tamen pinus) nondum ſatis capio: artis plus, quàm naturæ, atque hinc longè aliquid aliud latere ſuſpicor. Quòd verò Auguſta in Inſigni hodiedum Nucem Pineam gerat, poſteriorum temporum mos eſt: nemo enim Inſignia ante Caroli M. ævum, aut Sacra in Palæſtinam bella afferet. Illud autem, quod Velſerus ſubjungit, credibile non eſſe, Colonicos Nummos extra eam Coloniam, cujus aut nomen, aut ſymbolum gerunt, percuſſos, fallit omnino; non enim Præpoſitus Theſaurorum, ùt idem credit, præter vectigalia pecuniæ etiam ſignandæ præfuit, verùm ſolis vectigalibus, ùt Pancirollus ad hoc officium docet: Et teſte hoc ipſo Pancirollo in Occidente ſex tantùm in locis moneta ſignabatur, quibus tot *Procuratores*, non Præpoſiti Theſaurorum præerant: vin' nomina? habe ex ipſa Notitia: f. 141. f. 142.

Procuratores Monetæ. f. 140.

Procurator Monetæ Siſcianæ.
Procurator Monetæ Aquilejenſis.
Procurator Monetæ urbis Romæ.
Procurator Monetæ Lugdunenſis.
Procurator Monetæ Arelatenſis.
Procurator Monetæ Triberorum.

Quibus addendæ affirmante Pitiſco Londinum, Narbo & Sirmium: tot enim locis *MONETA AVG.* cudebatur: in his Auguſtam Vindelicorum utique deſidero, & ni vehementer notæ officinarum nummis omnibus poſt Conſtantinum incuſæ exerrent, illam in his difficulter omnino inveniemus. Quin ſi Auguſtæ etiam Officinam monetariam lubenter tribuamus, cùm nondum omnes omnino notæ eſſe videantur; id tamen Auguſteo ac proximô ævô non tam facilè concedendum putamus: Neque dicere poteſt Velſerus, urbem Rhætiæ, ùt vult, principem, Vectigalium utriuſque cuſtodem fuiſſe: In Lex. Antiqq. f. 6.

se: nondum enim probavit, vectigalia Rhætiæ primæ Augustam delata esse: hæc enim aut transvehendis apud nos speciebus, quibus Præfectus Legionis tertiæ præerat Teriolis (nomen & locum arx nostra princeps per excellentiam dicta Tyrolis servat, ùt infra demonstrabitur) impensa fuêre, aut per compendium Aquilejam ad Comitem Thesaurorum per Italiam, ad quam nos aliunde pertinebamus, submissa fuit. Quin si demus pro stipendiis forte militum in statione Limitanea numerosiùs degentium inserviisse, num Veldidenam hæc subruunt? Quis enim nescit, assignationes hujuscemodi & fieri potuisse & factas fuisse, quas firmandis Rebus Augustanis haud ideò reor opportuniores.

Notit. Imp. f. 172. das Haupt-Schloß.

Quartum porrò quem affert, nummum, iterùm in Mediobarbo, Patino, Begero & Vaillantio requiro; nec Coloniæ quiescentis imaginem admitto; decipi potuit Vir magnus, dum Nucem pineam Conum seu Strobilum credit, interim autem vas huic simillimum Cornucopiæ turrita Cybele in nummo Montefalconii prætendit, quam controversiam non dirimo, sed ab eodem Velsero dictum accepto, & si conus est, ab eo non tantùm Coloniam Augustam (cur enim hanc inprimìs?) sed Rhætiam omnem designari dico: Boves autem Coloniæ & titulum in quinto nummo *Juliæ Augustæ* an hanc suam spectare non una ex ratione dubito: & quamvis Mediobarbus in nummo hoc, sive ex Occone sive aliunde translato Augustam Vindelicorum admittat, id tamen deceptus agit, ait enim: *Ex veteri Inscriptione Coloniam Juliam Augustam dictam docuit Eruditissimus hujus urbis Civis & decus Marcus Velserus;* Ego autem in tota Velseri Vindelicia ad nauseam excussa in nullo Lapide hunc titulum inveni, & an unquam inveniri possit, hæsito; proprium enim magìs Julii Cæsaris Coloniis esse credo; ita enim in ejus nummis inscriptam *Juliam Berytum*, *Juliam Corinthum*, *Juliam Valentiam* invenio. Julio Cæsari nec Velserus suam in acceptis referet Augustam Coloniam: nomen hoc forte aliquibus mansit, quas ornavit Augustus invicem ab iis nummorum honore ornatus. *Colonia nimirum Julia gemina Accitana*, *Colonia Julia Augusta Berytus*, *Colonia Julia victrix Celsa & Leptis Tarraco: Colonia demum Julia Traducta & Octavia:* Sed talem esse Augustam contendo, quales fuêre *Augusta Patrensis & Bilbilis*, *Cæsar Augusta*, *Colonia Carthago nova Augusta*, atque ut, quod res est, dicam, vocabula hæc Julia Augusta à Conditori-

Antiqq. explic. t. 1. f. 10. n. 9.

f. 50.

Argelat. in Jul. Cæs. à f. 8. Id. in Aug. à f. 45.

ditoribus vel primò impoſita ſunt cum gentium devictarum nominibus ùt Auguſta Salaſſorum, Rauracorum, Taurinorum, Vindelicorum, quæ ſolæ Auguſtæ audiêrunt: cæteris Auguſtum hoc vocabulum prænomen fuiſſe antiquo earundem nomini præfixum: Colonias enim Auguſti omnes Julium nomen adſciviſſe præpoperè quidem dici potuiſſe, ſed difficulter, imò vix probari poſſe crederem; nam etiam in Nummis Tiberii hi tituli redeunt, qui tamen Julii nomen nunquam aſſumpſit, cur id de Auguſto Marcus noſter Velſerus ſuſpicetur, veſtigia ſanè non invenio! Harduinus autem ad Coloniarum nummos mihi ad manum non eſt; Certè aliam Juliam Auguſtam dextrâ binas ſpicas, ſiniſtrâ haſtam tenentem ex theſauro Medicæo Eminentiſſimus Noriſius produxit, quam nemo noſtram auſit dicere: utì nec illum, quem itidem cum hoc titulo junctis in parte adverſa manibus caduceum, & bina Copiæ Cornua tenentibus Duumvir noſter meô numerô ſeptimum attulit.

De ſexto pariter ingens mihi dubium ſuboritur, quadrigam refert, in qua nux pinea, Inſcriptio: *TI CLAVDIVS TI. F. NERO:* An hic Auguſto avo, quod Ducibus Tiberio & Druſo Patre ſuo Rhætos ſubjugârit nummum cudit? ſed falſa Inſcriptio eſt, non enim Tiberii, ſed Druſi filius hic Claudius fuit: nec triumphales de Rhætis Druſus Pater, ſed honores tantùm Prætorios adeptus eſt. Deinde quis pineam nucem in quadriga ſuſtineat? ſubleſtæ fidei mihi aureus videtur, nec (ſi tamen oculos meos non fefellêre Authores nummarii) reperire illum in his, qui mihi ad uſum ſunt, potui: Quin neque tum refragarer, ſi ex Obryzo & legitimus foret; non enim rationibus noſtris obeſſet, ſed Velſeri. Minimè etenim verum illud Velſeri de Auguſti tempore (licèt olim reip.) impoſita fuiſſe eorum ſymbola, qui nummos ſignavêre: & additâ pineâ nuculâ, nummus ubi percuſſus fuerit, ſignificâſſe. Iſtud quippe Imperatorum ævô nunquam in uſu fuit, imò nec monetæ quidem Præfectorum nomina aut ſigna poſt Auguſtum occurrunt; ut cætera, quæ de ſtrobylo opinatur, taceam. Quod numiſma ultimum Hadriani attinet, hoc ſolùm adverto, quòd authores ante Hadrianum omnes Rhætiam à Vindelicia diſtinguant; imò lapides & authores, ùt poſtea videbimus, etiam poſt Hadrianum apertiſſimîs verbîs ſejungant: ac Tacitus ipſe Vindelicas Cohortes laudet (quas

neque nos Vindelicis demimus) potiori utique nobis jure hic nummus vindicandus erit. Placet in hanc rem limatiſſimi Begeri ad hunc nummum rariorem ſenſus : *De exercitu Rhætico*, inquit, *licèt Authores ſileant, loquitur tamen cum nummiſmate ratio, cùm gentes devictas nonniſi Legionum & Exercituum præſidiis Romani tuerentur, imò ex ipſis exercitus conſcriberent, Rhætorum ſanè Cohortes apud Tacitum l. 2. memorantur :* Addo ego, & voce quidem ſtatim inſequenti : *Vindelicorúmque :* ut diverſus appareat à Cohortibus Vindelicis ex Cohortibus Rhæticis Exercitus, *militem enim Hadrianus* (adjungit ex Ælio Spartiano Begerus) *quaſi bellum immineret, exercuit, dum in Germaniam tranſiit :* Locum inſuper Caſſiodorii iterare placet : *Rhætios munimina Italiæ, exercitúmque eum Clypeum Romanorum appellantis :* Quæ cùm Veronæ ſcripſerit Caſſiodorius, Rhætiam primam ſibi vicinam, tutiorémque Alpeſtrem intelligere debuit ; Rhætia enim ſecunda, & in hac Auguſta non munimen Italiæ, ſed limes & munimen Vindeliciæ ac Rhætiæ ſecundæ adversùs irruentes Barbaros erat ; exercitúſque in Alpibus noſtris meliori jure Clypeus Romanorum inſigniri potuit ; Nemo enim tam inſulſæ mentis erit, qui hanc laudem ad ſolos Vindelicos injuriâ trahi non ſentiat. Demum Coloniæ dignitatem, atque in nummis memoriam, nunquam Auguſtæ urbi abnuo, & in Vindelicis contra quoſcunque defendo, etſi nummum Tiberii, qui *Col. Aug. Vind.* jactet, nuſpiam offenderim, nam & mihi ſummopere gratularer, ſi tantæ vetuſtatis teſtem novum nanciſcerer, qui non Coloniam Auguſtam Rhætorum, ut tanto niſu adlaborat Velſerus ſed *Auguſtam Vindelicum* unà cum authoribus omnium oculis objiceret.

Theſ. Brand. t. 3. f. 108.

****

CAPUT XVI.

Ac cætera Monumenta.

QUemadmodùm in nummis, veluti ære alieno (cùm ſibi horum copiam non fuiſſe, imo ne conſpectos quidem eſſe aſſerat) integerrimum ſe præſtitit Velſerus ; atque eapropter

pter ſi etiam in his adducendis explicandíſque impegiſſet, eò veniâ dignior foret, quòd illo adhuc ævô vix tres eximii numerentur Authores, qui de hac re vel ſcripſerint tantùm, ne dicam (quod primis vix unquam poſſibile) feliciter ac citra errorem verſati fuerint, ut adeò omnibus pronum fuerit, ſæpiùs extra oleas (ùt loquimur) errare. Contigit ea felicitas noſtris primùm temporibus, in quibus non multùm à ſemiſæculo ea commendatio Batavis, Anglis, Italis ac Gallis debetur, non tantum nummos, atque omnes omnino in his apices (pene dixiſſe atomos) ſed & terras omnes luſtrâſſe, atque immenſâ nominis & gentis gloria eruderâſſe: quos haud ſegniter Germani noſtri, præſertim magni quidam ad Septentrionem Viri inſecuti ſunt, imò quoad primos Conatus nemo Occonem anteivit: His Ducibus ſi uti licuiſſet amantiſſimo Patriæ Civi, paulo aliter fortè rem ſuam adornâſſet; Veruntamen quod in nummis non licuit, in lapidibus præſtitit, imò ibi plus præſtitit, quàm ſuô ævô omnis Litteratorum cætus: hujus enim (quod nemo neſcit) Conſilio & hortationi magnum illum Inſcriptionum theſaurum præ reliquis debemus, quem primus omnium Gruterus condidit, & quotquot Gruterum Ducem vel ſecuti ſunt, vel redintegrârunt, aut emendârunt, quales hodie ſunt: Reineſius, Fabretus, Sponius, Donius, Gudius & Cl. Muratorius, aliique: quid autem in hoc genere Litteraturæ poſſit Velſerus noſter, in monumentis Auguſtanis ac peregrinis, quæ ferè dimidium rerum Vindelicarum volumen conficiunt, oſtendit. Ex his planè colliguntur aliqua, quæ ſcrupulum movent; cætera enim pleraque rebus noſtris haud officiunt: Advertimus igitur, & cum cura notamus, nullum ex his omnibus cumulatè, atque egregiè congeſtis monumentis lapidem adeſſe, qui Imperatorem aliquem ab Auguſto ad Antoninos uſque oſtentaret: ſola *MATIDIA* Soror Sabinæ Hadriani Conjugis, & in Cippis milliaribus poſtea *L. SEPTIMIVS SEVERVS*, atque in ſaxo alio *GORDIANVS* Impp. nobis obviam fiunt: Conſideramus dein iterùm Auguſtam hanc urbem *ÆLIAM* quidem vocari, & in C. Julio Vettio *AVGVSTAM VINDELICVM.* Et *GENTES VINDELICORVM* in trophæo Alpium. Hoc ultimum equidem gloſſema ſuſpicatur Illuſtris Scriptor, quod ex ora irrepſerit, cauſáſque affert non contemnendas. Sed cùm in omnibus, præ-

cipuè recentioribus Dalechampii, Voſſii, Salmaſii & ampliſſima illa P. Harduini è Soc. Jeſu eximii Critici adeſſe videam, nec in nitida, quæ mihi ſuppetit, Clariſſimorum quorumvis Virorum, ac ſingularibus Gronovii notis cum variantibus Manuſcriptorum Lectionibus editione Lugduno-Batava nunquam omiſſa ſint; contra torrentem niti nondum auſim: Inſcriptionem autem ipſam ex fonte haurire non eſt ampliùs poſſibile, cùm Trophœum noſtris temporibus penitus ſit deſtructum, & ipſe vicus Torbia, ubi olim ſitum fuit. Niſi forte theatrum Sabaudiæ Amſtelodami anno 1682. impreſſum Reliquias nobis ſervârit; fallitur enim V. Cl. Mabillonius, qui Seguſii ſuperſtes dixit; *aliud* enim ibi trophæum, *alius* arcus eſt, ſimili tamen exordio, quali illud noſtrum Plinius inchoat, adhucdum decorus, quem Illuſtriſſimus Maſſejus in Hiſtoria Diplomatica Italicè conſcripta typis ac cælaturis, & iterùm in Epiſtola ad V. C. Albertum Fabricium, latinè deſcriptum dedit, Auguſti titulis, atque eodem prorſus initio ùt dixi inſignem, quô Trophæum Alpium olim ſuperbiit: Maſſejanus tamen, quem vir ſummus coram ibidem inſpexit, contextu ſuo diverſus eſt admodùm ab illo Alpium Trophæo, quod nobis Plinius ſervavit. Sed iterùm ad Lapides, à quibus digreſſi fuimus Velſerianos! multus equidem in his meritiſſimus author eſt, in nullo tamen (ut contrahamus, ac minùs profutura argutandi ſemina reſpuamus) vel Coloniam Rhætorum, vel Auguſtam Rhætiæ profert, quæ verba nobis unicè ſuffeciſſent, ne Veldidenam ſuis jam dudum ruderibus altè ſepultam fortaſsè non citra invidiam erueremus, quod tamen faciendum neceſſariò fuerat, ut tandem veritas dictorum eluceſceret: Nunc lapidibus miſſis ad nucem pineam revertamur, ubi ante omnia advertas velim, perobſcurum in multis monumentis veterum hoc ſeu obſonii, ſeu ornamenti genus eſſe, & ſæpiùs à Cinara haud poſſe diſtingui: nec tantùm aut præcipuè, etſi nux eſſet pinea, pro Auguſta, ùt credit Velſerus, militaret; cùm in diverſiſſimis cernatur ornamenti locô monumentis, quæ toto Cœlo à rationibus Auguſtæ diſcrepant; Occurrit enim apud Montefalconium in Cornucopiæ Nymphæ ad pedes Iſidis, in Cornucopiæ Herculis, in pinu Sylvani, ad pedem tauri Farneſiani: iterùm in ara Sacrificii Deorum Marinorum in pompa Bacchica, in pollice manus votivæ ter: in Cornucopiæ Tiberis, & Siſtro Iſidis, in vaſculo demum apud Fabrettum, & in Cl. Bertoli Aquileja in platea

Giornale de Lett. T. 1. art. 13. p. 453.

T. 1. p. 1. f. 100. & 107.

T. 1. p. 2. f. 222. 276. 378.

T. 2. p. 1. & 2. f. 100. 194. &c.

f. 328.

tea S. Joannis talis nux quinque pedum altitudine conſpicitur, & ante omnes, quæ hodiedum tota tabulis æreis & deauratis cooperta, notabiliori adhuc magnitudine Romæ ſupereſt, olim Mauſolæo Auguſti ſuperimpoſita: Dein Cupidinem cum ſtrobylis ludentem Begerus in Theſauro Brandeburgico; binos alios amorum genios, qui ſtrobylos ex arbore decerpunt, Montefalconius exhibet: rationem Propertius reddit: Montefalc. Iter Ital. p. 287. Vol. 3. f. 274. T. 1. f. 180. l. 2. el. 18. In Dialog. de Ven. & Cupid.

- - - - habet arbor amores
Fagus & Arcadio pinus amata Deo.

Lucianus verò pro more exſplicat & ridet, quòd Cybele nimirum vetula, cui arbor hæc ſacra, experta ſit ejus ſagittas. Adderem his (niſi conjecturas nimias refugerem) potuiſſe Veneris victricis, quæ Julio Cæſari pro teſſera fuit, aliquid ſub ſtrobylo ſubeſſe, quam coluiſſe Auguſtum in gentem Juliam adoptatum pronum eſt credere. Ex quibus utique haud graviter feret Velſerus, ſi nihil pro Auguſta facere Strobylos quis dixerit, ſed ornamenti plerumque genus eſſe admittat, aut Cybeli ſacram nucem pineam, aut Rhætiæ I. noſtræ magis propriam hanc Alpium arborem defendat.

CAPUT XVII.

Quantum ex his pro Auguſta ſua Velſero concedendum ſit.

AUdivimus hactenus non ſine juſtiſſima laude, quantùm pro Auguſta ſua laborârit Nobiliſſimus ejuſdem Duumvir Velſerus, cúmque in foro ac fonte Auguſtum in ære vivere juſſum, Conditorem Auguſtæ celebrare audiiſſemus, aſſerti rationes in Codice quærimus: *malo equidem*, inquit, *de Druſo verum eſſe, quod & plures tradidêre Authores, tametſi antiquiores, (ne fallam) Othone & Honorio Auguſtodunenſe nondum reperio:* Hanc proin Auguſtam in Vindelicia & ſub hoc nomine, & ſub Rhætiæ ſecundæ titulo Otto Friſ. c. 4. Honor. in Chron.

reliquis præstitisse cum eodem Velsero contra quoscunque propugnamus: *Iste ipse urbis splendor, tot & tanta antiquorum ædificiorum rudera, quæ effodiendis fundamentis occurrunt quotidie, fornices, cloacæ, pavimenta, præterea Inscriptiones, scalpturæ, statuarum bases, aræ, nummismata, vascula fictilia, quarum rerum nec vola nec vestigium ad Isaram (quo in loco Augustam exstruere Aventinus voluit) non tenuiter indicare, testatô denunciare videri possent.*

Nec aliam præter hanc Augustam (ùt quidam nixi fundamento fortè parùm solido, non exhibitis veterum testimoniis, aut lapidum, nummorúmque sincera fide asseverant) Tubingam, Augustam Aciliam, & Badacum, Augustam Tiberiam, & Quintanorum asseri posse putamus; cùm insuper Itineraria, Tabula, Notitiáque de his omnibus Augustis sileant. Haud equidem diffitemur, nullum inter tot Monumenta à Viro Cl. in urbe isthac allata, aut ibi (quantùm scio) hactenus reperta Lapidem *Augustam* (ab Octaviano nempe, non alio quopiam Augusto, ut Ælio Hadriano &c.) aut *Augustam Vindelicûm* loqui; Romæ tamen in Ecclesia S. Joannis ante Portam Latinam talem extitisse Jacobus Mazochius ante annos ampliùs 70. scripsit: haud tamen ibi ampliùs nunc visitur. Lazius quoque similem in monumentis Laureacensibus legi Author est:

D. M.
C. IVLIO VETTIO
AVG. VINDELICVM MIL.

Et quamvìs Velserus ipse fragmentum ex ædibus Peutingerianis afferat, in quo urbs hæc *MVNICIPIVM. AEL. AVG.* Litterîs trabalibus inscripta sit, & ab Hadriano nomen ob beneficii ingentis cujusdam memoriam assumpserit, idémque municipium Colonia Ælia Augusta esse potuerit, quin tamen jam olim ab Augusto deductam fuisse quispiam improbet: utùt multæ Coloniæ Augustæ vocatæ sint à posterioris ævi Imperatoribus conditæ, quod Inscriptionum Collectores Fabrettus, Donius, Reinesius apertè monstrant, dum primus *Juliam Concordiam Augustam Beneventum* ex Inscriptione posita Juliæ Augustæ Sept. Severi Matri producit: Alter *Coloniam Aureliam Augustam: Piam Canusium* ab Imperatore Aurelio deductam exhibet: tertius *Coloniam Helviam Augustam Lilybitanam*

in

in Sicilia à Pertinace allegat, quibus Illuſtriſſimum Maffejum addo, qui in Verona ſua illuſtrata eandem *Coloniam Auguſtam novam Gallienianam* ex Lapide deſcribit. His tamen omnibus inſuper habitis etiam ipſemet cum Velſero ex rationibus apud Laureacum allatis Auguſtam Vindelicûm certè Coloniam eſſe à Druſo deductam, atqui in Auguſti Patris ſui adoptivi honorem *Auguſtam* compellatam fuiſſe, citra hæſitationem ullam affirmo, cùm poſt difficillimum longè cum Rhætis ac Vindelicis bellum, quod retentaturi teſte Dione videbantur, primum omnium, ac maximè neceſſarium fuerit gentes tam ſtrenuas præſidiis ac coloniis intra limites continere. Manſitque Auguſtæ *Auguſtum* hoc propter excellentiam Conditoris ab omni ævo ad conſtitutum hunc limitem Coloniæ nomen: & manſit ad exemplum aliarum longè antiquiſſimarum urbium, quò Auguſtus ſuos deduxit Colonos, milites, Veteranos; Meminit enim ſimili exemplo *Auguſtæ* Cæſareæ Nicopolis, *Auguſtæ* Emeritæ Juliæ Gaditanæ, atque *Auguſtæ* Prætoriæ Salaſſorum Strabo, Rauracorum Cæſar, Trevirorum Mela, complureſque hujus Principis Colonias nummi apud Mediobarbum Argelati in Auguſto allati adhucdum ſervant, quæ quàm proximè ad noſtram accedant Auguſtam, idem ſemper Vindelicorum Cognomen ad differentiam aliarum urbium additum confirmat: Occurrit enim ſexies cum hoc diſcrimine in Antonini Itinerario, in quo ab Auguſti ævo hoc urbis nomen tanquam devictæ gentis Vindelicæ trophæum ſupereſſe indubitatò potuit, ita igitur Itinerarium habet: p. 1. f. 360. n. 38.

ITER DE PANNONIIS &c.

A SIRMIO LAVRIACO. M. P. CCCXXXVIII.
AVGVSTA VINDELIC. M. P. CCXXVI.

Atque iterùm in contextu Itineris:

LAVRIACO. M. P. CXX.
AVGVSTA VINDELIC. M. P. CCXXVI.
A TAVRVNO LAVRIACVM. M. P. DLXXVII.
INDE AVGVSTA VINDELICVM.

Rurſus

Rursus in Contextu Aquinoctio Vindobonam:

AVGVSTÆ VINDELICVM. M. P. XX.

Hoc ipso nomine aut cognomine usus est Geographorum sui, id est, Antoninorum ævi celebratissimus Ptolomæus, qui dum in descriptione Germaniæ primùm Rhætiæ, deinde Vindeliciæ situm exsplicâsset, inter enarratas hujus urbes designat hîs verbîs nostram: *Sub his Augusta Vindelicorum.* Et Tabula Theodosiana cum urbis illustris, duarum nempe turrium, nota *Augusta Vindelicûm.* Demum quod mirêre etiam dum sub Rhætiæ secundæ divisionem ac provinciam post Constantini tempora incidit, cognomine hoc, utùt alterô simul assumptô non excidit; ita enim Notitia utriusque Imperii:

f. 141. *Præpositus thesaurorum*
Augustæ Vindelicienſis
Rhætiæ Secundæ.

Edit. Gronov. de Anno 1722. p. 782. Atque ita per antonomasiam aut nomen Augustæ solùm, ut insuper in Geographo Ravennate videre est (seu Sæculi VII. seu XI. Scriptor sit, quod Viri Illustres Eccardus & Beretta componant) à Victore Augusto: aut Vindelicorum simul, à devictis populis, semper usurpatum, atque per omnes ætates ad nostra usque tempora continuatum esse non tantùm ex Velsero discimus, Catalogum Authorum recitante, quibus nos Ausonium jungimus in Mosella canentem:

- - - - nec præmia in undis
Sola, sed Augustæ veniens quòd mœnibus urbis
Spectavit junctis Native Patrísque triumphos.

Sed etiam ex Lapidibus (testibus plane antiquissimis utùt non rarò malè habitis, ast nihilominus incorruptis) intelligimus, quibus Patriæ nomen (ùt apud milites moris esse Fabrettus docet) *Vindelicis* nimirum per vocis compendium *VINDEL.* vel *VEIN.* adscriptum plerumque, etiam apud Velserum in monumentis Augustanis non semel, utì & *Bassum* gente *Veindelicum* apud Reinesium Cl. 9. n. 7. invenimus: ego verò nulla re magìs, quàm ex Inscriptionibus Columnarum milliarium in hoc ipso Itinere nostro Augustâ Veronam nempe vel hodie extantium, utpote qui constanter Augustæ tantùm nomen

nomen præferunt, convincor: Tres Velserus affert, hodiedum Ursinii in agro Augustano spectabiles, qui Severum Imp. cum filiis Caracalla & Geta ad annum Christi 202. testantur:

VIAS ET PONTES RESTIT.

Ab Aug. M. P. XXXXI.
——— M. P. XXXXII.
——— & M. P. XXXXIII.

Quartum Parthani, hodie Parten-Kirch (credo Parthan-Kirch) superesse asserit. Quintum denique prope Wilthaimium (Wilthinam seu Veldidenam vult dicere) ejusdem tenoris affert. Nec à vero abludit, etsi modò non ampliùs ibi, sed in ampla Celeberrimæ arcis Ambracensis area se conspiciendum cum quinque aliis præbeat, ex Oenipontana vicinia (ùt Vir nobilis Warmundus Ygl à Volderthurn apud Archiduces olim nostros in Camera Aulica rationum Præfectus in annotatis ad Chartam Tyrolis Geographicam anno 1602. impressis advertit) illuc Anno 1587. allatis, in quo pariter legere est post dictos jam titulos in candido marmore:

VIAS ET PONTES
REST AB AVG.
CX.

Ad Latus, alius ejusdem ordinis è silice infixus est, non procul Matrejo, olim ad Viam Regiam positus, ùt ex numero passuum colligitur, ita inscriptus:

AB AVG. MIΛΛ. P.
C. XV. P.

Et iterùm alius ex marmore, qui Julianum Imp. præfert, nescio unde translatus, cùm numerus hunc in Vindelicia olim positum indicet, qui sic expressus:

AVG. M. P. XXX.

Et demum octavus, quem in monte Pyrenæo (Prenner hodie) haud procul Vipiteno (Sterzingen) iter monstrâsse iterum ex numeris persuadeor.

AVG. M. P. CXXX.

Hodiéque ad telonium (auf den Lung vulgò) ad pedem montis Brenneri murô insertus visitur. His addo Lapides milliares non Inscriptos, quos binos Ambracensis area, & unum prægrandem Via Regia ab Augusta Veronam ante pagum Reit supereſſe non semel vidimus, hos ipsos verò cæteris antestare, & ad Augusti ævum pertinere in Antiquitatibus Gallicis illustrissimè nos Scipio Maffejus instruxit: quas Columnas milliares sustentare firmaréque Augustanam Coloniam posse, nemo non dixerit; cùm si Augusta ipsius Augusti tempore non floruisset, neque viæ ab hac aut ad hanc dirigi potuissent, quod tamen tunc factum fuisse, hi Lapides ad oculum monstrant. Et hæc interim de Augusto, Coloniæ Augustæ Vindelicorum authore propugnando, sufficere credimus, unicô adhuc Sexti Ruffi testimoniô adjectô, paulò post Alpinos ab Augusto devictos asserentis: *Et limes inter Romanos & Barbaros ab Augusta Vindelicûm per Noricum Pannonias ac Mœsiam est constitutus.* Quod sine militari Colonia utique nemo facilè defenderit. Hanc igitur Augustam Vindeliciæ Caput & urbem Principem Augusti & Hadriani, Coloniam ac Municipium, ejusdémque inter Romanos ac Barbaros limitem, in Itinere Veronam directionis Caput, sæpiùs de Pannonia terminum, Præpositi Thesaurorum Rhætiæ secundæ mansionem, ac tot Lapidum memoriâ etiam in Rhætia nostra Alpestri superstitum celebratissimam dignissimo hujus Consuli Velsero minimè invitus concedo: additô etiam hôc, urbem fortè longè illustriorem Veldidenâ fuisse, cùm Loca Limitanea ob majorem ibi militum, Ducúmque numerum, commerciorum commoditatem, ac per omnem Germaniam transitum exornari firmaríque frequentiùs contingat.

Ep. 7. p. 37.

CA-

CAPUT XVIII.

Rhætiam cum Vindelicia non debere aut posse confundi monstratur.

Cùm asserente Gellio *unumquodque genus, cùm castè pudicéque ornatur, fit illustrius, cùm fucatur atque prælinitur, fit præstigiosum:* etiam nos Veldidenam nostram, postquàm Coloniam Augusti, ac Rhætiæ Caput nobis vindicavimus, castè jam ac pudicè ornabimus: Atque ne fucare ac prælinire dicamur, non circumscriptionibûs, seu coloratîs ùt vocant, titulîs, aut petitis à longinquo metaphoris utemur, sed expressis ac conceptis Authorum Romanorum verbis, *verbîs* inquam (ùt Scholæ significanter quidem, sed minùs latinè loquuntur) *formalibûs ipsissimis.* Diversam hactenus Rhætiam nostram à Vindelicia, ac à populis Vindelicis fuisse nec semel, nec obiter diximus, talémque à Romanis Scriptoribus ad Constantini M. usque, imò vel ultra hujus Principis ævum compellatam, quin etiam neque tum Augustam *Rhætorum Coloniam* vocitatam fuisse, cùm Rhætiæ secundæ Caput fuerat, & utraque provincia sub Rhætiarum promiscuo veniret nomine, sed semper & usque in hodiernam diem *Augustam Vindelicorum* audiisse, authorum ac monumentorum fide ex ordine dabimus. Excutiamus igitur primum Augusti ævum, & videamus, quid Geographorum anteseignanus Strabo hac de re senserit: *Supra Comum, quod est ad radices Alpium situm, habitant versùs Orientem Rhæti & Vennones* &c. Et iterùm: *Rhenus quoque*, inquit, *in magnas paludes, magnum lacum diffunditur, quem attingunt* RHAETI ET VINDELICI *partim in Alpibus, partim supra Alpes habitantes.* Pergit idem paulò inferiùs: *Deinceps montium partes, quæ ortum spectabant, & ad meridiem vertuntur,* RHAETI ET VINDELICI *tenent, Helvetiorum & Bojorum contermini, quorum campis imminent. Rhæti usque ad Italiam pertinent, supra Veronam & Comum* &c. Et: *petulantissimi* VINDE-

l. 7.

l. 4. à f. 313. ed. Amst. 1707. f. l. 4. f. m. 293.

LICORVM babiti sunt Licatii, Clautinatii & Vennones, RHAETORVM Rucantii, Cotuantii, Hestiones quoque Vindelicorum sunt, &
l. 7. f. 488. *Brigantii.* Et demum: *Lacum* (Brigantinum) *RHAETI exigua parte, maxima Helvetii & Vindelici attingunt - - - - Helvetii & VINDELICI montanas colunt planities: Rhæti verò ac Norici ad Alpium summa assurgunt, versúsque Italiam vergunt.* Post Strabonem Pa-
l. 2. p. 45. terculum audiamus: *RHAETIAM* (Augustus) *& VINDELICOS ac Noricos, Pannoniámque novas Imperio nostro subjecit provin-*
p. 292. *cias;* & iterùm: *quippe uterque* (Drusus & Tiberius) *divisis partibús RHAETOS VINDELICOSQVE aggressi;* rursúmque: *Ego*
p. 306. *tecum Imperator in Armenia, ego in RHAETIA fui, ego à te in VINDELICIS, ego in Pannonia, ego in Germania donatus sum.* Et demum: *quis enim dubitare potest, quin* (Tiberius) *ordinatísque rebus Orientis ovans triumphare debuerit, & VINDELICORVM, RHAETORVMQVE Victor curru urbem ingredi?* Post medium Sæculi ab Augusto, & nato sub Augusto Cœli terræque Domino,
l. 3. c. 20. primi, Plinius afferendus est: *His contermini*, inquit, *RHAETI & VINDELICI, omnes in multas Civitates divisi, Rhætos Tuscorum prolem arbitrantur à Gallis pulsos Duce Rhæto.* Et in Trophæo Alpium post enumeratas gentes alpinas, (Rhæticas etiam nostras ex communi omnium hodie Authorum consensu) addit: *VINDELICORVM gentes quatuor Consuantes, Virucinates, Licates, Catenates* &c. Sæculum hoc Epigrammatibus binis Martialis claudamus.

l. 9. ep. 86. *Me tibi VINDELICIS raptum narrabat in oris*
Nescia nec nostri nominis Arctos erat,
l. 14. ep. 100. *Si non ignota est docti tibi terra Catulli*
Potásti testâ RHAETICA vina meâ.

Ubi sanè Rhætos supra Comum & Veronam cum Strabone: Vindelicos autem ad Polum pene Arcticum ad Septentrionem, ex Licentia licèt poetica, non tamen omnino falsa, sed plus justô remotiores ab invicem collocat. Sæculum à reparata salute alterum Ta-
Annal. 2. 17. 4. citum protulit, in hæc verba scribentem: *Ni RHAETORVM VINDELICORVMQVE Cohortes signa objecissent.* Tum Florum:

rum : *Noricis animos dabant Alpes atque nives, quo bellum non posset* l. 4. c. 12.
ascendere, sed omnes illius cardinis populos BRENNOS, Vennones atque VINDELICOS per privignum suum Claudium Drusum perpacavit. Brennos autem, (quos & Heinsiana Horatii editio inter domitas Rhætorum gentes habet) nemo hodie est, qui non Rhætos ad Brennerum montem nostrum percelebrem circumquaque accolentes intelligat; Florum Suetonius sequitur : *Domuit autem*, inquit, *partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni, item RHAETIAM & VINDELICAS gentes inalpinas :* rursúmque post hæc : *Comatam Gal-* In Aug. 2.
liam annô ferè rexit, & barbarorum incursionibus, & principum discordiâ inquietam. Exin RHAETICVM VINDELICVMQVE, inde Pannonicum, inde Germanicum (bellum) *gessit, Rhætico atque Vindelico gentes Alpinas, Pannonico Breucas & Dalmatas subegit.* Sæculum demum etiam quartum Eusebium dedit ita differentem : *Tiberius de RHAETIIS, VINDELICIS, & Pannoniis triumphavit.* In Tib. 9.
Ubi & Sextum Aurelium Victorem ita narrantem audias : *Iste* (Augustus) *Cantabros & Aquitanos, RHAETOS, VINDELICOS, Dalmatas numerô provinciarum Populi Romani conjunxit.* Eadem de Augusto ejusdem ævi (quarti nempe) Scriptor in Breviario suo adnotavit Eutropius : *Romano adjecit Imperio Ægyptum, Cantabriam,* Syllb. f.
Dalmatiam, sæpè ante victam, sed penitus tunc subactam; Pannoniam, 106.
Aquitaniam, Illyricum, RHAETIAM, VINDELICOS, & Salassos in Alpibus : ut adeò labente jam Imperio, sæculô nimirum quarto, non desint nobis, qui utramque provinciam Rhætiam unà & Vindeliciam diversam commemorent. Apertiùs adhuc illos à se invicem Geographorum sæculô altero primipilus Claudius Ptolomæus distinguit : dum primò Rhætiæ, dein Vindeliciæ, pòst Norici, Pannoniarum & demum Illyridis situm exsplicat : *RHAETIAE*
situs. Rhætiæ Occidentale Latus terminatur monte Adula, & Linea, quæ l. 2. c. 12.
est inter Capita amnium Rheni atque Danubii; Latus Septentrionale parte terminatur Danubii, quæ à fontibus est usque ad Oeni fluminis scissionem, Orientale Latus ipsô Oenô terminatur, meridionale Alpibus subra Italiam extensis - - - - juxta principium Lyci amnis, quive RHAETIAM à VINDELICIA disjungit, habitant magis Septentrionalia

Brixantes, magis Australia Suanetes & Reguſci: Quæ inter hæc ſunt, tenent Calucones & Vennonetes. Et hæc correctiora ſunt, licèt n n ſine mendis: cæteris, quæ nec ad rem pertinent, nec Controverſiam movent, aut dirimunt, conſultò omiſſis. Sequitur *VIN-*
l. 2. c. 13. *DELICIAE ſitus* hiſce verbîs: *Quæ magis Septentrionalia ſunt, VINDELICI tenent, Runicates, ſub his Leuni & Conſuanates, plus Velauni, poſt Breuni, & juxta Lyciam fluvium Licatii: Civitates autem ſunt in Vindelicia penes Danubium Artobriga, Bojodurum, ſub his AVGVSTA VINDELICORVM:* Nec diverſa ab his more ſuo tradit tabularum Ptolomaicarum Author Agathodæmon, inſupérque etiam urbem inſignem *Vindelicię Auguſtam Vindelicam* vocat. Sunt quidem aliqua ex dictis, erroribus obnoxia, res autem noſtras à Vindelicis diverſas apprimè confirmant; quare minimè negligenda eſſe duximus.

Ptolomæo alium Geographum etiam Græcum jungimus teſte Gronovio ad initium III. Sæculi Celebrem; Agathemerum nempe, qui Libro ſecundô Geographiæ ſuæ hæc de Danubio habet: *termi-*
p. 222. *nat Germaniam à vicinis gentibus RHAETIA, VINDELICIA, & Norico ſupra Alpes & Italiam poſitis.* Quod autem pene fidem ſuperat, & titulum huic Capiti præfixum omnino roborat, hoc eſt, quod etſi ingentem monumentorum numerum Auguſta poſſideat, Lapidem tamen ne unicum quidem oſtendere poſſit, in quo Rhætia cum Vindelicia eſſet confuſa, aut in quo Auguſta hæc *Auguſta Rhætiæ* vel *Rhætorum* diceretur. Imò ne talem quidem Lapidem reperies, in quo vel ſolum Rhætiæ aut Rhætorum vocabulum in urbe vel agro Auguſtano his Antiquitatum reliquiis aliàs refertiſſimo occurrat, ſed potiùs hæc urbs, ùt vidimus, ſub *AVGVSTA VINDELICVM*, & populi ſub *VINDELICORVM* vocabulo exprimuntur; Inſupérque, quod præprimis notandum eſt, ne unicum iterum Authorem antiquum, quorum tamen ultra centum de Rebus Romanis ſcripſêre invenire eſt: In quo *AVGVSTA RHAETIAE* aut *RHAETORVM* vocetur, ſed conſtantiſſimo ſemper tenore apud Sextum nimirum Ruffum *limes inter Romanos & Barbaros ab Auguſta Vindelicûm* conſtitutus memoratur Ptolomæo *ſub his Auguſta Vindelicûm* Itinerario ſexies, Tabulæ Theodoſianæ *Auguſta Vinde-*

Vindelicûm, utriusque demum Imperii Notitiæ in Præpositis thesaurorum iterum *Augusta Vindelicienſis Rhætiæ ſecundæ* audit: Sed hîc tamen verbulum deprehendunt Velſeri patroni: *Augusta Rhætiæ* occurrit: ſed caveant, ne ſuis ſe armîs confodiant, qui hæc oggerunt, fidenter enim aſſero: verba hæc Notitiæ rebus meis ne minimùm quid officere, etiamſi hoc apertè affirmâſſent, quid enim unicus teſtis contra tot? Verùm ad rem ipſam: Dico enim, etiam illo ævo, quô ſub Rhætiæ ſecundæ jam nomine tota comprehendebatur Vindelicia, non tamen Auguſta hæc, Auguſta Rhætiæ ſimpliciter (ùt loqui amamus) aut Rhætorum, ſed antiquo potiùs jure, minùs tamen Latino jam cognomine *Vindelicienſis* audiit. Quo autem tempore Vindelicia ſub Rhætiæ ſecundæ nomine venerit, ſi nôſſe deſideratis, fontes dabo, ex quibus non dubia ampliùs hodiedum hauſta eſt ſententia, nonniſi deficiente jam, atque concuſſo ubivis à barbaris Imperio id cognominis huic Regioni obveniſſe. Juvat iterùm Authorum, qui binas produnt Rhætias, verba, ac ætatem recitare: Mentionem igitur utriuſque primam J. Capitolinus (qui teſte Voſſio Antoninum Pium Diocletiano, & Clodium Albinum à ſe ſcriptos Conſtantino dedicavit) his injicit: *ſtatímque Rhætias ac Noricum ab hoſtibus vindicavit.* Plurium numerô etiam Scriptor (ùt Voſſius credit) Conſtantini ævô Flavius Vopiſcus in Probo utitur: *poſt hoc Illyricum petiit, & priùs quam veniret, Rhætias ſic pacatas reliquit, ut illic ne ſuſpicionem quidem ullius terroris relinqueret:* Hos Ammianus Marcellinus, qui ſub Gratiano ac Valentiniano vixit, iteratis, quarum dimidiam duntaxat partem brevitatis cauſâ affero, ſuperat teſtimoniis, dum refert: *Re hac modò finita paulò pòſt & Lentienſibus Allemannicis pagis indictum eſt bellum, Collimitia ſæpè Romana latiùs irrumpentibus, ad quem procinctum Imperator egreſſus in Rhætias, campóſque venit Caninos:* tum: *aſſiduis nuntiis terrebatur* (Imp. Conſtantius) *& certis indicantibus, Suevos Rhætias incurſare.* Et rurſus: *Juthungi Allemannorum pars Italicis conterminans tractibus Rhætias turbulentè vaſtabant, adeò, ut etiam oppidorum tentarent obſidia præter ſolitum.* Et iterùm: *Alios per mediterranea Rhætiarum* (milites) ſub mittit Julianus. Denique: *Allemannos gentis ante dictæ metu diſperſos aggreſſus per Rhætias Theodoſius ea tempeſtate Magiſter Equitum.* His ſub Theodoſio M. Sanctus Ambroſius accedit, Valentiniani Legatus Maximum objurgans: *in medio Romani Imperii Juthungi populabantur*

De Hiſt. Lat. l. 2. p. 191. In Pertinace p. 183. l. 2. p. 194. p. 161. l. 15. l. 16. l. 17. l. 21. l. 28. l. 27. ad Valent.

labantur Rhætias: & paulò pòſt: *Tu feciſti incurſari Rhætias.* Claudat hoc agmen ſub Theodoſio Juniore Zoſimus, & cum hoc plerique, ùt ipſe Velſerus advertit, qui poſt Conſtantinum ſcripſêre, Rhætiarum nomine uſi Scriptores: Ille igitur de Gratiano ſic teſtatur: *versùs Alpes aufugiebat, eas cùm nullô præſidiô munitas reperiſſet, versùs Rhætias & Noricum, & Pannonias & Myſiam ſuperiorem tendebat.*

l. 4.

l. 11. tit. 16. l. 18. p. 318.

His omnibus pro colophone accedat Codicis Theodoſiani authoritas: *exceptîs hîs, quas Rhætiarum limes expeditiones Illyricæ, quas paſtûs translatio militaris, vel pro neceſſitate vel pro ſolemnitate depoſcunt.* Cæterùm hæc nomenclatio uſque ad ipſam nominis mutationem, *Rhætiarum* nempe in *Noricum* perdurâſſe, dein etiam cum gentibus migrâſſe, imo evanuiſſe videtur: Sæculô enim adhuc ſextô reliquias ejuſdem in Caſſiodorio invenimus, ibi enim Epiſtolam inſcribit Theodoricus Rex: *Servato Duci Rhætiarum.* Et in formula Ducatûs Rhætiarum hæc ingerit: *Rhætiæ namque munimina ſunt Italiæ, & Clauſtra provinciæ.* Sæculo autem proximo Longobardis jam Ducatum Tridentinum adeptis Rhætiæ, & Rhætiarum nomen omne in Noricum tranſiit: Noricum denique ſæculo circiter decimo tertio, quod noſtram Rhætiæ partem attinet, in *Regionem ad Atheſin & Oenum,* in *montana & Alpes,* & ſequentibus demum in *Tyrolenſe* mutatum eſt. Ex quibus omnibus ſedulò perpenſis luce meridiana certiùs inclareſcit, duplicatum Rhætiarum nomen nunquam ſub Hadriano (quî enim tot Authores hoc ſiluiſſent, plerique autem poſt Conſtantinum attuliſſent?) ſed longiſſimè poſt hujus Principis tempora inſtitutum fuiſſe.

Var. l. 1. ep. 11. p. 19.

CA-

CAPUT XIX.

Nec divisionem illam in Rhætiam I. & II. Hadriano, sed Imperatoribus Sæculi primùm IV.ti tribuendam esse.

QUamquam Rhætiam & Vindeliciam usque ad Constantini ferè tempora, ac sæculis proin tribus Authores ritè à se invicem distinxerint, quemadmodùm Capite præcedente monstravimus; binos tamen ex his ævi melioris ac proin momenti gravioris contra nos in aciem producit doctissimus Velserus, qui prima fronte non levem nobis incussêre formidinem: Livii Epitomatorem nempe, quem non ex suo, sed Liviano ævo censet; & magnum Tacitum: verùm quemadmodùm huic jam supra satisfecimus, ita & Epitomatorem paucîs dimittemus; Hunc Florum fuisse ex communi ferè Eruditorum Consensu & nos dicimus, qui in suo de Rebus Romanis libello *Brennos* & *Vennones* nostros à *Vindelicis* apertè distinxit; unde suspicatus mox sum, hoc Caput Epitomes non Flori, sed inepti cujusdam ac deterioris ævi librarii esse: quam conjecturam consulta etiam postea Fabricii Bibliotheca Latina non inanem deprehendi apertè testantis, hoc & sequens Caput in Manuscriptis desiderari, nec à Floro confectum. l. 4. c. 12. l. 1. c. 21. p. m. 180. & 191.

Verùm pergit in suo systemate hîs non attentîs Velserus, credens, utrumque populum in unam provinciam Rhætiæ nomine coactum, & inde Vindeliciæ vocabulum paulatim desuetudine obsoleviisse: cúmque sic confusum velit utrumque, nomine Vindeliciæ absorpto, aliam in Rhætia jam ex asse ùt opinatur, sua, celebriorem urbem, quàm Augustam ne cogitare quidem potuit. Neque aliter rationes suadebant, si enim una provincia fuit, quis præter unam aliquam urbem in illa principem adhuc aliam requiret? His addit f. 45. Rhætias numerô plurium Hadriani temporibus usum obtinuisse, Provinciæ divisionem ab hoc ipso manâsse, eundémque Hadrianum

pleraque in Imperii Constitutione mutâsse ex Victore in Epitome, & Auctore Historiæ Miscellæ credit. Verùm si rite perpendantur, nihil uterque de provinciarum divisione, sed de Officiis duntaxat affert; Rhætias verò plurium numerô ante Constantini tempora, ùt capite præmisso diximus, vix inveniemus; Hi verò cur tot præstantissimis florente Imperio ac stylo præhabeantur? Difficile equidem est de posterioribus hisce Authoribus, qui, cur Rhætias multiplicârint, silent, rationem reddere; Hoc interim nihilominus certum est, distinctam fuisse ad Hadrianum, imò fere usque ad Constantinum provinciam: haud proin dispicio, quomodò Vir doctus hanc pluralitatem Rhætiarum, harúmque in primam & secundam divisionem Hadriano possit adscribere, nisi exemplum Malelæ forte secutus sit, utpote qui de Trajano testatur, quòd ultra Danubium
f. 362. constituerit *provincias duas, quas Daciam primam & secundam vocavit.* Verùm contra Malelam etiam nummus ad annum Christi 139. sub Antonino Pio, imo sub Trajano Decio adhuc ad annum Christi
Apud Grut. 250. *Dacia* non *Daciæ* inscriptus apud Mediobarbum, uti & lapides clamant, cùm Hadriani virtute Daciam imperio additam esse testan-
CCXLIX. 4. tur. Alii insuper Legatum Augusti Provinciæ Daciæ & Legionis
CCCLIV. 5. XIII. G. P. F. sub Antonino Pio, (ùt eruditè monet Cl. Caryophylus) Provinciam Daciam sub Severo & Caracalla habet: ut cæteros taceam. Malim igitur cum Sexto Ruffo, viciniore longè his divisionibus Scriptore, hanc Aureliano adscribere, dum in Breviario ait: *per Aurelianum translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in Regionibus Mœ-*
In S. Ruff. f. p. 429. *siæ, ac Dardaniæ factæ sunt:* Imò neque huic divisionem in *primam & secundam*, sed in *Ripensem & Mediterraneam* concedit Cellarius, quod idem etiam de Norico non ante Diocletianum & Constanti-
Inscr. f. 18. num admittit. Et Leges adhuc, à Constantino & Theodosio latæ, Daciæ duntaxat, non Daciarum Præsidem apud Reinesium referunt, ubi & Proprætores ejusdem Daciæ complures invenies. Verùm condonandus hic error Velsero est, cùm non infrequens hic
T. 2. Antiq. Eccl. f. 228. ipse Scriptoribus etiam clarissimis fuerit, inter quos Schelstratenus Britanniam superiorem, & Inferiorem, Mœsiam primam & inferiorem, Epirum primam & secundam, duas Norici, Pannoniarum, Daciarum, Rhætiarum ac Ciliciæ provincias attulerit, cùm tamen Dio,
f. m. 645. qui sub Alexandro Mammæo, sæculo proin tertio scripsit, Britanniæ superioris primus meminerit, Ptolomæus verò, qui etiam post Hadria-

drianum inclaruit, Britanniam ſine ulla diviſione deſignârit. Idem nec Mœſiam primam habet, ſed ſuperiorem: Epirum quoque primam & ſecundam nullibi aliàs, quantùm mihi licuit, deprehendi. De Norico utroque nihil pariter idem Ptolomæus, quin imo ſub Conſtantino primùm in Lapide NORIC. MEDITER. apud Gruterum comparet; ne ea, quæ modo diximus, repetamus. Si verò per Pannonias duas, primam & ſecundam intelligit, diviſionem hanc iterum neſcit Alexandrinus Geographus, ſuperiorem duntaxat, & inferiorem enumerans: Ciliciam in I. & II. nuſquam ante Arcadii Aug. decretum partitam fuiſſe teſtante Cl. Caryophilo eminentiſſimus Noris ex nummis, Pandectis & marmoribus oſtendit. De binis Daciis jam diximus, de Rhætiis paulò poſt dicemus. De therm. Herc.

Poſſent quidem hæc omnia ex Lapidum fide ad oculum demonſtrari, ſed cùm ultra propoſitum noſtrum hic labor excreſceret, his conſultò abſtinemus. Quod duplicatum Rhætiarum numerum attinet, ad quod ævum pertineat, jam monſtravimus, *nec de Rhætia Tacitus alibi* (niſi ſemel, ubi aſſentiente etiam Velſero de populis loquitur) *aut æquales* (Authores) *pluraliter* ait Cellarius. Ammianus & Synchroni etiam illo adhuc tempore ex more Ptolomæi, quas plurium numerô dixêre provincias, ùt Germaniam &c. plerumque ſuperiorem & inferiorem voluêre. Neque tam obvia erit Rhætiæ noſtræ etiam poſt Conſtantinum in primam ſecundámque divîſio; ego certe nullibi ejus veſtigium deprehendere potui, niſi labente jam, imò vix non exſpirante Romano Imperio in Sexto Ruffo nimirum, & utriuſque Imperii Notitia, aut etiam ſæculô demum jam octavô, ſublatîs quoque Longobardorum rebûs, in Paulo Diacono. Neque ſoli tum Rhætiæ hæc biceps partitio impoſita, ſed Belgica inſuper, Germanica, Lugdunenſis, Pannonia, Thracia, Phrygia, Britannia in primam ſecundámque diviſa fuit: Iiſdem inſuper numeris diſpeſcuit Notitia Aquitaniam Narbonenſem & Lugdunenſem. De his tamen pleriſque jam palam fecimus, ita Hadriani ævô minimè fuiſſe diviſas. Ptolomæus, qui poſterior Pannoniam adhuc ſuperiorem & inferiorem, Phrygiam majorem & minorem compellavit, nec primam aut ſecundam Aquitaniam Lugdunenſem, Belgicam, aut Narbonenſem, itémque Thraciam, ſed ſimplici has omnes adhuc numero ſcripſit: neſcio igitur, an circa mutationes provinciarum Geographicas ipſi quidquam tutò imputari poſſit. De Rhætia miſsîs aliîs

rem claram facimus ex Lapide ab Illustrissimo Maffejo asservato, & in Verona sua illustrata hîs verbîs expresso:

Q. CAECILIO
CISIACO. SEPTITIO
PICAI. CAICILIANO
PROCVR. AVGVSTOR. ET
PROLEG. PROVINCIAI
RAITIAE ET VINDELIC.
ET VALLIS POENIN. AVGVRI
FLAMINI DIVI AVG ET ROMAI
C. LIGVRIVS L. F. VOL. ASPER
Ↄ. COH. I CRINGENVORVM.

Hunc Lapidem ad Antoninorum ævum pertinere idem Illustrissimus Scriptor asserit, & *cùm Rhætiam à Vindelicia distinguat, monstrat, quàm falsum sit, divisionem Rhætiæ in primam & secundam ab Hadriano*
£. 128. *manâsse, sicuti Velsero visum est.* Hadriano posteriorem etiam Velserus agnovit, cùm Augustorum meminerit, nec omnino anteriorem M. Antonino & L. Vero, qui primi Augusti pariter appellati fuerint. Sed Antiquitatis affectatorem prisco Vindeliciæ vocabulo usum, quod ex adhibita diphthongo AI pro AE colligit; Verùm cum stylus reliquus nihil verborum, quod à Sæculi illius usu abhorreret, contineat; cur, amabo, de solo Vindeliciæ vocabulo aliquid singulare statuamus? Verum etsi demus Velsero, hanc Lapidis inscriptionem antiquæ Geographiæ simiam esse, non poterit tamen, aut volet ipse alias ejusdem ævi quatuor, quas in monumentis peregrinis ex Agro Valeriæ, Celeja & Græcio n. XII. XIII. XIV. & XV. integras attulit, erroris accusare, quod nec Rhætiarum, aut Rhætiæ I. vel II.
Ed. Norimb. 428. sed Rhætiæ duntaxat meminerint; Sic enim habet, qui in Valeriæ agro:

T. VARIO CLEMENTI PROC
PROVINCIARVM BELGICAE
GERMANIAE SVPERIORIS GERMANIAE
INFERIORIS RAETIAE MAVRETANIAE CAESARENS
LVSI-

LVSITANIAE CILICIAE PR. EQ. AL. BRITANNIC MILIAR
PRAF AVXILIORVM IN MAVRETANIAM TINGITANAM EX
HISPANIA MISSORVM PRAF EQ. AL. II PANNONIOR. TRIB MIL
LEG. XXX. V. V. PRAEF. COH. II. GALLORVM MACEDONICAE
CIVES ROMANI EX ITALIA ET ALIIS PROVINCIIS
IN RAETA CONSISTENTES.

Et ne forte de fide horum Lapidum dubium ſuboriri poſſit, tres reliquos ejuſdem tenoris damus in Auguſta Bibliotheca Vindobonenſi omnium hodie oculis expoſitos.

T. VARIO. CLEMENTI
AB. EPISTVLIS. AVGVSTOR
PROC. PROVINCIAR
BELGICAE. ET. VTRIVSQVE. GERM
RAETIAE. MAVR. CAESARENS
LVSITANIAE. CILICIAE
PRÆF. EQVIT. AL BRITANICAE. MILIAR
PRÆF. AVXILIORVM. IN. MAVRET. TINGITAN
EX. HISPANIA. MISSORVM. PRAEF. EQVIT. ALII
PANNONIORVM. TRIB. LEG. XXXV. PRÆF. ſic
PRÆF. COH. II. GALLORVM. MACEDONICAE
CIVITAS. TREVERORVM
PRÆSIDI. OPTIMO
T. VARIO. T. FIL
CLEMENTI. CL. CEL
PROC. AVG. PROVINCIAR
RÆTIÆ. MAVRETAN

CÆSARENSIS
LVSITANIÆ. CILICIÆ
PRÆF. AL. BRITANICÆ. MILIAR
PRÆF. AVXILIARIORVM. TEMPORE
EXPEDITIONIS. IN. TINGITANIAM
MISSORVM
PRÆF. EQ. AL. II. PANNONIORVM
TRIB. LEG. XXX. VLP. PRÆF. COH.
GALLORVM. MACEDON
VALER. VRBANVS
LICIN. SECVNDINVS
DECVRIONES
AL AR. PROVIN. MAVRETAN
CÆSARENSIS.

*

T. VARIO. CLEMENTI
PROC. PROVINC. BELGICAE
ET VTRIVSQ. GERMANIAE
RAETIAE. MAVRETANIAE. CAESAR
LVSITANIAE. CILICIAE
PRAEF. EQ. ALAE. BRITAN. MILIAR. ET
II. PANNONIORVM. TRIBVNO. MIL.
LEG. XXX. VLPIAE
CIVES. ROMANI
EX. ITALIA. ET. ALIIS. PROVINCIIS
IN. PANNONIA. CONSISTENTES.

Quapropter ſi provincias in hac Inſcriptione contentas Belgicam, Rhætiam, Mauretaniam Cæſarenſem à Tingitana diſtinctam, Luſitaniam, Ciliciam, ac Pannoniam ſingularium numero, eóque prorſus modo, quo illas omnes, ſola Germania ſuperiore & inferiore exceptis, à Ptolomæo conſcriptas examino, etiam ſic Rhætiam, qualem

lem Ptolomæus ſub Marco Imp. teſte Suida conſcripſit, à Vindeli- f. m. 140.
cia diſtinctam accipiendam eſſe nemo prudens inficiabitur; præci-
puè cùm ipſe Velſerus eruditiſſimè more ſuo adnotaverit, Tingita- f. 139.
nam expeditionem ad Alexandrum pertinere: Nec cæteroquin hunc
ipſum moror Ptolomæum, qui Germaniam magnam, non ſuperio-
rem, non inferiorem dixit; utùt complurium ita provinciarum di-
viſionem inierit: hæcque ipſa diviſio non inſolita ipſi in aliis fuerit
provinciis, à Marco enim Aurelio Imp. qui anno Sal. 180. obiit, ad
Alexandri tempora, qui anno Domini 218. Imperium adiit, nec tam
immenſa annorum intercapedo, nec adeò mutabiles rerum vices in-
terceſſêre, quæ tantillô ſpatiô Geographiam Ptolomæi interverterint:
ſub Alexandro autem jam Dio ſcripſit: *Celtæ quidam, quos Germanos* Steph.
vocamus, quid omnem Celticam Regionem, quæ ad Rhenum eſt, occupâſ- f. 576.
ſent, effecerunt, ut ea Germania vocaretur: Superior quæ Rheni fonti-
bus propior eſt, inferior, quæ ab hac uſque ad Oceanum Britannicum ſe
extendit.

Cùm igitur, ùt percepimus, ex Lapidum etiam reliquiis Rhætia cum Vindelicia nec Hadriani tempore, longè minùs verò antea confuſa, plurium verò numero ſub Conſtantino primùm exarata ex authorum ævo compareat; in primam & ſecundam eodem, aut omnino poſteriori tempore diſpertitam fuiſſe dicendum eſt: operæ igitur pretium erit, hac ſuper re de rationibus nimirum ac tempore, quo in primam & ſecundam diviſa fuerit, ſignatè indagare.

Cellarius igitur de hac diviſione & ſententia Velſeri ordine a- Geogr.
gens Diocletianum auctorem multitudinis provinciarum facit, nec l. 2. c. 7.
facilè exemplum prius diviſionis in primam & ſecundam in provin- §32. p.
ciis inveniri affirmat, plura autem in ſuperiorem & inferiorem: ne- 422.
que verò hujus diviſionis uſquam in Rhætia ſignum, certè nondum ætate Ptolomæi, occurrere contendit.

In ævum adhuc poſterius hanc mutationem rejicit Vir in hoc ſtudio inſignis Beretta: *Mos fuit*, inquit, *Imperatorum præſertim Græ-* Chorogr.
corum provincias dividere, ut plures in provinciarum Magiſtratibus lo- It. med.
care poſſent. - - - Et planè nemo Arcadio in Oriente, & Juſtiniano æv. f. 17.
magis eas multiplicavit, arithmeticè tamen id intelligendum, nam diviſio
provinciarum in ſuperiorem & inferiorem eſt antiquior, & magis adhuc
in citeriorem & ulteriorem. Arcadius porro imitatus eſt Valentem &
Valentinianum, dum iſte Rhætiam in I. & II. ille Cappadociam in I. & II.
diſſe-

dissecuit, testibus duobus Gregoriis Nazianzeno Or. 2. de laud. Basilii, & Presbytero suppari in illius vita operibus præfixa.

f. 114. Pancirollus ad Notitiam suam de Rhætia quidem nostra aliquid singulare non affert, rationem tamen, quam suggerit, & hujus & reliquarum provinciarum multiplicationis, necessitatem non prorsus diversam, & unà idem tempus suppeditat. *Theodosius M.* inquit, *rerum potitus, Arcadio Orientem, Honorio Occidentem dedit. - - - - - - - ob duplicem verò administrationem dignitates & Magistratus geminari oportuit.* Idem Rhætiæ in primam & secundam divisæ tem-

Ver. ill. l. 2. pus Illustrissimus Maffejus agnoscit, dum Rhætiam secundam dictam fuisse Vindeliciam asserit: Quando Vicario Italiæ duæ Rhætiæ fuêre subjectæ: Vicarium autem Italiæ Præfecto Prætorio Italiæ in Notitia (sub Theodosio nempe) septendecim provinciis & septem Præsidibus earum præfuisse invenio; in quibus utique Rhætiam primam & secundam tum eadem Notitia, tum libellus provinciarum ejusdem, utraque secundùm doctos ætatis (Theodosii Junioris nempe) nobis exhibent. Tantorum igitur Virorum authoritatibus ac Lapidum fide motus divisionem Rhætiæ Arithmeticam in primam secundámque Hadriano tribui posse non video, in unam provinciam sub hoc, aut etiam priùs Rhætiam nostram cum Vindelicia coactam tot iterùm Authoribus, (ut de marmoribus sileam) adeò apertè utramque ferè usque ad Constantinorum tempora distinguentibus pariter affirmare non ausim: Inter hos rursum, qui hôc ævô posteriore Rhætias plurium numerô dixêre, mallem potiùs aliorum exemplo iterum non primam & secundam, sed forte superiorem, inferiorémque intellexisse. Neque hoc ultimum omnino ex vano; Syllbur-

l. 2. f. 675. Et notæ. f. 955. gius enim in notis ad illud Zosimi fortè rectiùs locô: ἐπὶ Ῥαιτίονα ὁδὸν, inquit, ἐπὶ Ῥαιτίαν τὴν ἄνω, *versùs Rhætiam superiorem.* Verùm excusandus omni ex titulo Velserus est, nam errorem hunc cum doctissimis erravit; cùm ætate sua nondum tanta in Geographicis antiquis lux Eruditis affulserit, qualis postea Litteras illustravit, ubi certatim hanc spartam Cluverius cum Holstenio ac Lambecio, Cellarius, Junckerus & Beretta datâ operâ, aliíque complures ad Strabonem, Melam, Plinium, Solinúmque etiam cum nummis, interpretes exornârunt.

CA-

CAPUT XX.

Rhætiam dudum ante Vindeliciam Romanis cognitam, utì & Incolas fuiſſe.

RHætiam noſtram omnem ſub Alpibus fuiſſe nemo unus, quotquot hodie vivunt, Litteratorum trahit in dubium, & nos Capite tertio abundè ſatìs, ùt puto, monſtravimus. Nunc ante Vindeliciam Romanis cognitam probare intendimus; Neceſſarium igitur eſt, illa hîc iterùm per ſynopſin repetere, quæ de probabili Veldidenæ antiquitate Capite ſuperiùs, ac de bello ibidem Cimbrico ex Plutarcho, Frontino, Ampelio attulimus: Cimbros per has Alpes noſtras præcipuè Tridentinas in Italiam irruiſſe, ubi prudenter priùs ex his ipſis Alpibus *(deſperabat enim illos ab earum tranſitu arceri poſſe)* Q. Catulus contra Cimbros miſſus ſe ſubduxerat. Si enim, ùt ex faſtis Conſularibus patet, hæc Cimbrorum irruptio annô U. C. 640. contigit, Rhæti verò ac Vindelici A. U. C. 739. ab Auguſti privignis domiti ſunt, centum omnino annorum intervallum inter hæc bella elapſum fuiſſe vel primo intuitu perſpectiſſimum eſt. Bellô igitur ad minimum Cimbrico jam Q. Catuli exercitu obſeſſa Rhætia, nec obiter, ùt credo, à tanto Duce, ac reliquis pro more Romanis luſtrata aut cognita fuit, non enim ceſſiſſet barbaris Catulus, niſi ab Alpium tranſitu inſpectâ locorum naturâ prohiberi non poſſe circumſpectus hic Conſul caurè prævidiſſet: Imò vel ante Catulum Rhætiam & Rhætos Romanis innotuiſſe Author graviſſimus Strabo docet, ac teſtimoniô Pòlybii firmat, quem hîs allegat: *Quatuor etiam tantummodo earum* (Alpium) *tranſitus nominat, per Lygures proximè Etruſcum mare, per Taurinos, quô Hannibal uſus, per Salaſſos, & quartum per Rhætos.* Nec de viis tantùm teſte Strabone Polybius mentionem fecit, ſed de animalibus, metallis, Alpium magnitudine & altitudine ſcripſit, quæ fuſiùs apud Strabonem videri poſſunt: Servavit hanc de Rhætis memoriam bonâ nobis fortunâ Strabo; cùm Polybii Hiſtoriæ pars pleraque perierit, ex iis tamen,

Plutarch. in Mar. p. 215.

l. 5. de Alp. à f. 315.

quæ ſuperſunt, aliqua decerpenda duxi, & inprimis quidem de his
l. 3. p. 84. ipſis Alpium & Rhætiæ viis locutus: *tranſitum Alpium difficilem ſanè, ac laborioſum, non tamen uſquequaque inacceſſum refert.* Alpes verò ipſas ita deſcribit: *nuda enim ſunt juga montium herbîs atque arboribus, quòd continuîs rigeant nivibus hyberno æſtivóque tempore, mediæ verò Convalles ab utroque Alpium latere, læta paſcua, atque apricas arbores habent, & humano cultu digniora loca.* Fuit autem Polybius Scipionis Africani circa annum U. C. 553. in bello Punico tertio Comes. Scripſit igitur ante domitos Rhætos Vindelicóſque centum & quinquaginta penè jam annis; quo utique tempore nemo fortè de Vindelicis adhuc ne cogitavit quidem, noménque populi ſub communi Celtarum nomine altùm delituit: De Rhætorum verò populis, ùt Cap. 9. diximus, jam viginti & aliquot poſt bellum Punicum III. annis Claudius Marcellus, Anno Urb. Cond. vero LXXXXVI. Q. Marcius Rex, & ſub Auguſto ante ejus privignos L. Munatius Plancus triumphârunt: Sed quid anxiè hæc teſtimonia conquirimus? cùm conformia & illuſtriora longè de antiquiſſima Rhætorum gentis origine affatim nobis ſuppetant, Plinius enim di-
l. 3. c. 20. ſertè pronuntiat: *Rhætos Tuſcorum prolem arbitrantur; à Gallis pul-*
l. 20. c. 5. *ſam Duce Rhæto.* Juſtinus: *Tuſci quoque Duce Rhæto avitis ſedibus amiſſis Alpes occupavêre, & ex nomine Ducis gentes Rhætorum condi-*
Ed. Amſtelod. 1688. f. 572. *dêrunt.* Stephanus Byzantinus: *Rhæti populi Tyrrhenici:* Tuſcos autem ſive Hetruſcos Tyrrhenicóſque potentiſſimum ac antiquiſſimum juxta Italiæ populum fuiſſe, cui Ritus religioſos in Sacris, politicos in condendis urbibus, deducendis Coloniis, Magiſtratuum Inſignia, ac triumphalia ornamenta, auguria, ludos, ſpectacula Architectonicam & Statuariam Romani debent, nemo ampliùs poſt Illuſtriſſimi Scipionis Maffeji origines Hetruſcas, nunc etiam in Germania latinè redditas, aut ejus obſervationes Litterarias Italico idiomate editas, ignorare poteſt.

Atque ut rem hanc extra dubium omne ponamus, tempus indagandum eſt, quô Tuſci & Alpes occupârunt, & ex nomine Ducis gentes Rhætorum condidêrunt. Plutarchus igitur, poſtquàm Acta inter Lucumonem & Aruntem narrâſſet, mox ſubdit: *Hic igitur rumore accepto de Gallis ad illos ſeceſſit, atque in Italiam exercitum duxit: Illi irruentes quamprimùm univerſam antiquámque Regionem Tyrrhenorum ſub eorum Imperium ab Alpibus uſque ad utraque maria redegêre,*

degére, ùt ipſius nominis appellatio teſtatur. Nam mare quidem Boreum Adriaticum à Tyrrhena urbe Adriæ, quæ ad Notum inclinatur: illud verò, quod è regione eſt, Tyrrhenum appellant. Per hanc Regionem arboribus plenam multa flumina fluunt, & lætus eſt ager pabulô, hæc octo & decem pulchras, magnáſque urbes habet, & ad quæſtum & ad victum ampliſſimas: Has Galli Tyrrhenîs ejectis occupavêre, ſed hæc multò ante geſta ſunt.

Atque utinam hîc Plutarchus, quando hæc geſta ſint, aſſignâſſet, ſed lubet hîc Scriptores Rhæticos conſulere: & induſtrios & non paucos, atque in extricanda hac lite forte plùs cæteris exercitatos. Tſchudius in ſuo de Alpibus libello Cnejum Pompejum Strabonem Comum reſtaurâſſe, à Rhætis everſum, annis ante Chriſtum circiter ſex & octoginta aſſerit, quo tempore, inquit, quingentis circiter annis Rhæti Alpes incoluêre, ſi igitur ad nummos Imperatorum Mediobarbi Chronologiam ſequimur, annus evenit U. C. 165. p. 4. Sprecherus annum Tarquinii Priſci 18. U. C. 146. Stumpfius in Epitome Chronologica Tiguri 1554. impreſſa paulò ante annum U. C. 155. Tuſcos Italiâ pulſos & Duce Rhæto in Alpes confugiſſe aſſerit: Simlerus, quin certum faceret computum, certam tamen rem dixit, aliquot ante natum orbis Redemptorem ſæculis expulſos has Alpes occupâſſe. Illuſtriſſimus denique Scipio Maffejus Tuſcos f. 6. regnante Romæ Tarquinio Priſco à Gallis duce Belloveſo amœniſſima hac à mari ſupero ad inferum Regione ex ampliſſimis urbibus pulſos, primum Veronam locum ſitu tutiſſimum elegiſſe, tum etiam in has Alpes noſtras fugâ actos, & mox Tridenti Conditores fuiſſe. Quod aſſertum ſolidè more ſuo Authorum effatis roboratum, reliquis, etſi pleriſque haud multùm diſcordantibus præhabeo, præcipuè cùm circa Veronam quaſdam Hetruſcarum Antiquitatum repertas fuiſſe reliquias etiam alibi oſtendat. Quale etiam monumentum in ære Perginæ repertum, gypſóque efformatum Vir doctiſſimus Simon Petrus Bartholomæi JC.tus nuper mihi admodùm ſubmiſit; Tabella eſt quatuor pollicum non excedens magnitudinem, in qua artifex planè eximius Pugilem Hetruſcum nudum, aræ inſidentem ornatæ, eleganter expreſſit, qui eidem aræ pede altero fortiter nixus, devovere ſe Marti aut Palladi creditur, cùm dextrâ pugionem, ſiniſtrâ palladium teneat. Acceſſit huic ſententiæ nuperrimè & commodùm in paucis per hos ipſos, dum hæc ſcribo, dies ſyſte-

ma ejuſdem operis noviſſimi : de natione Hetruſca, & Italis primitivis tractatûs in quatuor libros diviſi, quod idem Illuſtriſſimus Marchio rebus antiquiſſimis eruendis natus factúſque in Obſervationum Litterariarum Italiæ T. IV. hoc ipſô, qui excurrit, 1739. anno
p. 41. primùm edito recenſet : ubi ſeu §. ſeu Cap. 13. de Hetruria cis Appenninum & Rhætis agit : eóſque octodecim urbes tenuiſſe, quando à Gallis impetiti fuêre, quod temporibus quinti Romanorum
c. 5. Regis (Tarquinius is Priſcus teſte Floro fuit) accidiſſe commemorat. Urbem Hetruriæ hujus Cis-Appenninæ principem ex Plinio Bononiam facit, quod & ſupra Cap. 13. audivimus. Dein rurſus
l. 3. c. 16. ex eodem Hiſtoriæ Naturalis Conditore affert mentionem oppidi
c. 19. Tuſcorum Adriæ : & paulò pòſt : & oppida *Acelum*, *Patavium*, *Opitergium*, *Belunum*, *Vicetia*, *Mantua Tuſcorum trans Padum ſola reliqua.* Controverſiam deinde tangit variantis in Plinio Lectionis : *Fertini & Tridentini*, *& Bernenſes Rhætica oppida :* ubi aliqui Breu-
Verona Ill. p. 1. f. 115. nenſes, aliqui Belulenſes, aliqui Verunenſes legunt ; ſibi, inquit, indubitatum eſſe, Breunenſes legi debere, illóſque ipſos intelligi, qui Horatio & Trophæo Alpium Breuni ſunt, quos Bechunos Ptolomæus vocat, Breones Venantius Fortunatus : Verùm de his alibi plura ; Nobis modò clariſſimis (nec enim hîc falli me credo) teſtimoniis, & citra omne partium ſtudium irrefragabilibus docuiſſe ſufficiat, Rhætos noſtros populos fuiſſe longè totius antea Italiæ potentiſſimos, antiquiſſimos, & toto, ut ita dicam, Cœlo à Vindelicis diverſos : Annis pluſquam quingentis urbium frequentia, imò & in Rhætia noviter conditarum gloria celebres, rerúmque affluentia, commerciorum ſtudiis, virium robore hos ipſos infinitîs paraſangîs anteceſſiſſe Vindelicos. Cujus equidem rei non exiguas in Romanis Scriptoribus reliquias deprehendere potuiſſet præſtans Litteratus Velſerus noſter, niſi rem hanc tam perſpicuîs patere teſtimoniis noſtra primùm intellexiſſent ſæcula, ubi tam inſignia paſſim in Cl. Montefalconii Antiquitate illuſtrata, in Illuſtriſſimi Maffeji Originibus Hetruſcis, in Hetruria Regali Dempſteri, in Muſæo Hetruſco Antonii Franciſci Gorii ſe produnt monumenta : ſtudiúmque de hiſce Rerum Hetruſcarum Antiquitatibus ea jam ceperit incrementa, ut ſint Viri quidam doctiſſimi, qui Litteras Hetruſcas, de quibus ætas anteacta omnis deſperaverat, (cùm nec Græcæ nec Latinæ ſint taléſque, de quibus Livius teſtatur, *Romanos pueros, ſicut*

nunc

nunc Græcis, ita tunc Etruſcis Litteris erudiri ſolitos) legere poſſe & intelligere ſe meritò glorientur. De quibus omnibus plura adhuc in tractatu paulò ante memorato & ab Illuſtriſſimo, ùt credo, Authore ipſo per ſynopſin exhibito, pro ſumma Viri (quem jure inter excellentiſſima hujus ævi Italorum ingenia refert Cl. Lotterus) Litteras reconditas extricandi facultate ac felicitate reſcire poterimus: Cæterùm neque ipſe Velſerus diffitetur, ac doctiſſimè more ſuo plu- f. 20.
ribûs exhibet, qui & quando ex Rhætis noſtris ante Auguſtum aut laceſſiti, aut etiam domiti fuerint, addens, hæc, & quæ ſint alia ejuſdem generis, ad Rhætos Italiæ & Galliæ imminentes pertinere: cùm tamen de Vindelicis candidè, quod res eſt, dicat, eos nempe f. 8.
Romanis ſerò cognitos, neque eorum nomen ante Auguſti tempora & bellum auditum eſſe: licet è diverſo Rhætorum jam olim Polybius apud Strabonem meminerit: Accedit, quod Vinum Rhæti- Georg.
cum teſte Servio ad Virgilium jam Cato pluſquam centum annis an- l. 2. f. 95.
te hoc bellum laudârit: Catullus ſub Julio Cæſare adhuc vituperârit, Virgilius verò pariter ante hoc bellum iterùm commendârit: imo ſæpè laudatus Maffejus ex Columellæ præfatione textum ita legat: *vindemias condimus ex Inſulis Cycladibus, ac Regionibus Rhæticis, Gallicíſque*, quod non de ſuo ævo, ſed quod dudum Romanis in more poſitum fuerit, intelligendum nemo dubitat, ut adeò Rhætia noſtra longè jam ante illud bellum Romanis nota eſſe debuerit.

CAPUT XXI.

Romanóſque Scriptores ſemper de ea magnificentiùs ſenſiſſe.

POrtento ſimile videtur, Romanos Alpes noſtras ſubinde tentâſſe, atque hinc inde delibâſſe quidem, non tamen antea expugnandi iniiſſe conſilium, quàm ubi jam Gallia & Hiſpania, Græcia, Ægyptus, imò Aſia & Africa, verbô Oriens pene totus & Occidens cum meridie in poteſtatem populi Romani fuiſſet reda-

Eutrop. ctus, ſoli enim hactenus per has Alpes noſtras *Cimbri integrîs co-*
Plutarch. in Mar. *piis Alpium nives emenſi ſunt:* ſoli *Cimbri per glaciem altámque nivem*
Flor. l. 3. c. 3. *ad juga Alpium contenderant: hi jam (quis crederet?) per hyemem, quæ*
Tac. Hiſt. 3. 53. *altiùs Alpes levat Tridentinîs jugîs in Italiam provoluti ruinâ deſcende-*
Dio. l. 54. f. 328. *rant.* Primus igitur ex Romanis Auguſtus verè demum gloriari potuit: *ſuâ conſtantiâ perruptas Alpes. Hic Rhætos apud Alpes ſibi Tridentinas obviam factos prœliô congreſſos* (per Druſum) *fudit:* Hic, ut poſt Alpes Germaniam adhuc indomitam & Septentrionem quoque ſubigeret, *Alpes prope inexſuperabilem finem in medio eſſe* haud curandum ratus, fortiter rem aggreſſus & executus eſt. Sed erit hic fortâſſe nonnemo, qui ſcire aveat, eccur tanti in Republica Quiritûm Viri & Alpes & Germaniam, perdomito tamen orbe fere reliquo laceſſere non fuerint auſi? Duplicem his rationem reddi poſſe ex ipſis Romanis Authoribus didici, loci ſcilicet naturam & populo-
Flor. l. 4. c. 12. rum fortitudinem; *obſtabant enim Alpes atque nives, quò bellum non*
Strab. l. 4. *poſſet aſcendere:* Obſtabant vaſtiſſima ingentium petrarum præcipi-
Liv. Dec. 1. l. 5. tia, & quia *frequens ſuper glaciem glacies incumbit; Alpes inde appo-*
Polyen. Stratag. l. 8. 24. 2. *ſitæ erant, quas inexſuperabiles viſas haud equidem miror.* Nam quoties orbis Domitor Romanus *ille naturam Alpium ſpeculabatur*, cœperat *illico ex propinquo viſa montium altitudo, nivéſque cœlo propè immiſtæ - - - - animalia, inanimáque omnia rigenti gelu - - - - ac cætera viſu, quàm dictu fœdiora terrorem renovare.* Horrebant ſcilicet

Sil. l. 3. *- - Clauſas nivibus rupes, ſuppoſtaque cœlo*
Saxa.

Polyb. l. 3. f. 84. *Tranſitúmque Alpium difficilem ſanè ac laborioſum, non tamen uſquequaque inacceſſum:* Nam pleriſque in locis, ubi militi Iter faciendum,

Juven. 104. 52. *Oppoſuit natura Alpémque nivémque;*

Auſon. in grat. act. verbô deterrebant *Inſuperabilia Rhætiæ:* Et hinc nemo miretur, ſi apud Poëtas & eadem & vera reperiat. Titulos tantùm brevitatis ergo, ne longior ſim, legemus: Horatius belli Rhætici, juſſu victoris, deſcriptor *Alpes tremendas & hybernas:* Pedo Albinovanus *latebroſas*, Virgilius *aërias*, Ovidius *feras*, *altas*, Catullus, poſt hos Silius Italicus *celſas*, & *gelidas* Lucanus dixit: Nemo tamen rem meliùs, atque ſi coram ipſus inſpexiſſet, dicere unquam potuiſſet, quàm Claudianus, quem unum inſtar omnium dabo:

Sed

Sed Latus Heſperiæ quà Rhætia jungitur oræ, De bello
Præruptîs ferit aſtra jugis, panditque terendam Get. à
Vix æſtate viam, multi ceu gorgone viſa v. 340.
Obriguêre gelu, multos hauſêre profundæ
Vaſta mole nives, cúmque ipſis ſæpè juvencis
Naufraga candenti merguntur plauſtra barathro.

Et hæc de locis, ſeu montium noſtrorum natura, Scriptores Romani dedêre. Nunc quid de populis ſenſerint, audiamus: Synchronus Bello Rhætico Paterculus *Alpes*, inquit, *feris, multíſque nationibus celebres perdomitæ.* Et iterùm: *Reverſum inde Neronem Cæſar haud mediocris belli molem experiri ſtatuit. - - - Gentes locîs tutiſſimas, aditu difficillimas, numerô frequentes, feritate truces, majore cum periculo, quàm damno Romani Exercitus, plurimo cum earum ſanguine perdomuêrunt.* l. 2. p. 285.

Strabo ex Rhætis *Rucantios & Cotuantios petulantiſſimos* vocat, ſimúlque *eorum incurſiones impudentiſſimas.* Sed pace tantorum Virorum dixerim, notas has petulantiæ, impudentiæ, feritatis & ferociæ Romana pro more ambitio & adulatio invenit; longè enim ab his diverſa verba Horatius immiſcuit, dum *veloces, devota morti pectora*, & *agmina ferrata* ſcripſit, lege ſi lubet:

- - - - - - milite nam tuo l. 4. ode
Druſus Genaunos implacidum genus 14.
Brennóſque veloces & arces
Alpibus impoſitas tremendis
Dejecit acer plus vice ſimplici
Major Neronum mox grave prælium
Commiſit, immanéſque Rhætos
Auſpiciis pepulit ſecundis
Spectandus in Certamine Martio
Devota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis.

Et mox:

Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vaſto diruit impetu.

Domitis igitur tam feris, immanibus, ferratis, ac devotis morti populis, dejectis plus vice ſimplici (quas alibi tremendis rupibus impoſuêre)

posuêre) arcibus, incredibile dictu est, quantis victores plausibus excepti fuerint, quod vel ex eo etiam desumere possumus, quòd
p.m. 755. Augustus summus elegantiæ ac puritatis Latinæ arbiter Suetonio
p. m. 87. (aut quisquis vitæ Horatii Author est) Porphyrione atque Acrone te-
p.m. 495. stibus, Horatium, cujus Scripta præ aliis probaverat, & mansura perpetuò judicaverat, tribus suis Carminum libris ex longo intervallo quartum addere jusserit, & hanc victoriam celebrare, plura insuper jussum, quàm executus fuerat, ode mox insequenti ultima insinuare videtur:

Phœbus volentem prælia me loqui
Victas & urbes, increpuit lyra
Ne parva Tyrrhenum per æquor
Vela darem.

Sunt qui Horatio ob genus Carminis se excusante Virgilium hoc bellum canere in mandatis accepisse ferunt, sed Rhæticarum Alpium, urbium, fluviorum Celto-Gallicorum, & ùt Romanis videbantur (atque ideò corrumpebantur) barbaris plerumque nominibus deterritum Æneida scribendam postea suscepisse: Quódque & mihi verisimile videretur, nisi Virgilium paucîs ante hoc bellum annis jam
l. 3. f. 92. obiisse certò constaret: Cæterùm Alpes tam insigni jam dudum elogiô à Polybio fuerant decoratæ, dum velutì *Arx totius Italiæ esse*
Orat. de prov. P. R. *Alpes videbantur*, imo sine his nec Romam stare potuisse urbis æternæ Consul & Oratorum Princeps pronuntiat: *Alpibûs Italiam munierat ante natura, non sine aliquo divino numine, nam si ille aditus Gallorum immanitati, multitudinique patuisset, nunquam urbs hæc Summo Imperio domicilium ac sedem præbuisset, quæ jam licèt concidant, nihil enim est ultra illam altitudinem montium usque ad Oceanum, quod sit Italiæ pertimescendum.*

Atque hanc demum rationem esse credo, cur tam magnificè
l. 3. c. 4. Historiæ Naturalis Parens Plinius de horum montium, *Alpiúmque*
Geneth. Max. p. 131. *saluberrimis Romano Imperio jugis* locutus sit: Cur eloquentiam suam extulerit Cl. Mamertinus *per vicina illa Cœlo Alpium juga, quibus Ita-*
Servius ad Æn. 10. v. 13. *liam natura vallavit, pérque illa saxa & duriorem saxis nivium densitatem. Alpes* nimirum semper - - *secundùm Catonem & Livium muri vice tuebantur Italiam.* Alpes demum fuêre, erúntque semper *muni-*
Cassiod. l. 7. form. *mina Italiæ & claustra provinciæ.* Et quamvìs sub Alpium nomine etiam

etiam Cottiæ, Grajæ, Lepontiæ veniant, Rhæticæ tamen, Tridentinæ, Noricæ atque Juliæ omnino tres ad nos certò pertinent. Inter quos omnes à Scriptoribus præcipuè celebratur Appenninus, Pyrenæus, Rhætico & Taurus, quos univerſos noſtros etiam eſſe paucis expediam; De Appennino quidem, ſeu Pennino ac Pyrenæo cùm ad rationes Veldidenæ præcipuè ſpectet, capite ſingulari ac ſequenti agemus: de Rhæticone & Tauro hîc paucîs ſermonem facturi ſumus *Montium Altiſſimi*, inquit Mela, *Taurus & Rhætico:* ubi per me Interpretum aliqui, inter quos Ciacconius & Aldus, *Taurum* Cappadociæ, aut *Taunum* legant: aliqui etiam cum Voſſio hunc locum omnino prætereant, meminerint tamen, Melam hoc loco de Germania loqui, in qua Taunus quidem mons aliquis apud Cattos occurrit, qui tamen Alpes altitudine ſua æquare mihi nunquam lectus, minùs altiſſimum inter montes eſſe. Convenientiùs igitur dixero, ſi Taurum hunc montes illos aſſeram, quos in Tyroli noſtra die Krümbler-Thaurn, Windiſch-Matrayer-Thaurn, die Karner-Thaurn, die Kalſer-Thaurn, die Rauriſer-Thaurn compellant, de quorum incolis jam ex Polybio Strabo olim meminit: *Apud Aquilejam, & in Tauriſcis, præcipuè in Noricis, auri ſolidi venam fuiſſe.* Mónſque hîc Taurus idem fuiſſe patet, qui in Cl. Mezgero ex antiqua Legenda *Durus* barbarè vocatur, cùm in his montibus S. Rudpertum divinæ Legis præconem fuiſſe, hóſque hodiedum in Diœceſanis Salisburgenſi Archi-Præſuli ſubeſſe conſtet; quamvis nec ineptè etiam Sprecherus contendat, Alpinos quoque reliquos omnes Tauriſcos compellari poſſe; ejus tamen rationem aptiùs ex Cl. Wachtero petemus, cui in omni antiquitate & lingua, *Thor* mons eſt, præcipuè in noſtra antiquiſſima Celtica: inde Taurini & Tauriſci dimanârunt. Eadem Cluverius ſentit, ſed magis ad Tauriſcos noſtros, quàm Sprecherus accedit, cui utpote, qui rem & regionem hanc noſtram probè excuſſit, nemo non ſuffragabitur: Superſunt etiam hodie in Valle Oenana *Dynaſtia & arce Taurenſi* antiquiſſimæ hujus nominis non ſpernendæ reliquiæ: Dubium tamen omne poſt Strabonem Plinius diſſolvit: *juxtáque Carnos quondam Tauriſci appellati, nunc Norici.* Et hiſce Tauriſcis confines Alpes illæ fuêre, de quibus Tacitus: *num Rhæticis jugis in Noricum flecteret:* In ea enim Norici parte, quæ vulgò Vallis Puſtriſſa vocatur, aut montibus his Tauricis in ditione noſtra versùs Salisburgenſem vicina eſt, plures etiam Alpes, ſive Tauri

Duc. Rhæt.

Gloſſ. Germ. f. 1684. Ital. antiq. f. 360.

l. 3. c. 20. de Gent. Alp.

ſupradicti potiori ex parte Tyrolenſem ad ditionem pertinent, ſicùt & olim Norici (cum Rhætis ſociati) Italiæ teſte Strabone infeſti erant: de Rhæticone quoque, quia Interpretes ad Melam cum Voſſio omnes tacent, doctiſſimi Vadiani in hunc locum ſcholia afferam: *Rhætico in Rhætiis, quorum pars Engadini hodie dicti, ſupráque eos in Rhenum vergentes Curienſes à Curia vetuſtiſſimo oppido, quique in Vallem Telinam, & Larium Lacum vergunt, bellicoſiſſimi, & Helvetii Rhenanis fœderati in ortum Walgavii, Algavii, & pars ATHESINI, fortes & ipſi, & ad arma promptiſſimi - - - Rhæticonis verò non continua nec paris altitudinis juga, varia ſunt nomina, & juxta Vallis Montafon, Pretikeu, hoc eſt, Rhætico:* Cui conſentit Tſchudius, & Vallem adjacentem Rucantiorum aſſerit, additámque facilè, ſed male pro more medii ævi Litteram *P.* ad *Retigaw* non immeritò ſuſpicatur, & exemplis aliis probat; verbum enim *Gaw* ſeu *Gew* medium primò hoc ævum addidit. Vadiano porrò & Tſchudio Althamerus aſſentitur: *Rhætico*, inquit, *jugum illud Rhætiæ* primæ, *inter fines Curienſium & Valleſianorum:* ubi per Valleſianos Aribonis Fri-
Ecl. 9. ſingenſis Vallenſes, ſeu Vallenenſes, & Metelli Tegerenſis, Inthalenſes nempe (ùt Viri docti conſentiunt) Oenivallenſes noſtros intelligit, & hinc ego Montem Arulam, vulgò den Arlerꝛ & corruptè Adlerꝛ Berg Rhæticonis partem quoque credo, ùt alibi dicturus ſum: ſed his modò metam! Id tamen libenter reſcirem, ſi Vindelici inter Rhætos cenſendi ſunt, ubi Alpes illæ ſint, quas Antiquitas Alpes Vindelicas dixerit: has utique jam diu inter tot Alpium nomina requiro? Atque ex his tandem argui poſſe videtur, Tiberium ac Druſum forte non ſolùm Latronum reprimendorum gratiâ bellum hoc Rhæticum ſuſcepiſſe, ſed potiùs, ut arcem iſtam ac murum Italiæ opportuna hac occaſione Auguſto aſſererent, quod de Vindelicis dici nequit, cùm iſtos potiùs tanquam Rhætorum Socios unà debellandos neceſſarium eſſe duxerint.

CA-

CAPUT XXII.

Montem quoque Rhæticum Brennerum antiquissimis Græcis, Latinísque Scriptoribus innotuisse.

NOtissimus equidem ævô nostrô mons Tyrolensium Brennerus est, occurrítque apud Geographos nostros haud ignobiles Igelium, Burglechnerum, Gumppium, atque exteros quosdam cum Jansonio ac Ferrario eô, quô decet, locô, apud Danckertium verò, imò & Baudranum, minùs curatè *mons glacialis Brennerus* dicitur, qui aut Gallos aliquos, aut hi illum secuti sunt: Miror quoque Seüterum Geographum Augustanum exteros quàm nostrates sequi maluisse; nullus enim in toto Brennero mons glacialis est, sed Italiam petentibus per excelsa hujus juga montes glaciales à dextris (lustravi enim utrumque, & Brennerum sæpiùs) & non unus, sed plures occurrunt, nisi dicere malis, Græcorum potiùs sensa hos sequi, qui sub Pyrenæo aut Pyrene non tantùm Brennerum hunc Alpium montem, sed totum hunc montium tractum intellexisse videntur. Herodotus quippe Historicorum antiquissimus & Aristoteles Istrum in Pyrene, seu Pyrenæo nasci tradunt. Binis his Geographorum diligentissimus juxta, ac peritissimus, Strabo se jungit, dum ait: *Ister habet originem à montibus supra Hadriaticum*, & rursum: *Ister ab hisce montibus* (de Appennino, Brennero nimirum nostro loquitur, ùt mox videbimus) *in multa divisus capita sumit originem:* licèt fontem aliàs (quem Tiberius adiit) in Suevia jam agnovisse videatur: si tamen plura Capita seu fontes, ùt loquitur Geographus, admittere velimus, forsitan rectè factum, quòd principem inter hæc Capita locum Oeno nostro tribuat Clarissimus Helvetiæ suæ Plinius Scheuchzerus: in Oeni fonte primum Danubii fontem statuens, utpote, qui reliquis omnibus, quotquot in Danubium sese exonerant, sit altior, eadem quoque prærogativa ac titulo in eleganti Charta Helvetiæ Geographicæ à doctissimo hoc

In Euterpe l. 2. Meteorolog. l. 1. c. 13. l. 1. p. 102. l. 4. p. 376. l. 7. f. 448. Hist. Nat. Helv. p. 213.

Viro confecta apparet: *Oenus fons Danubii*, Oeno Lycum, Iſaram, Syllam omnes in noſtris Alpibus natos, omnes in Danubium elatos
Cit. p. 376. jungimus: De Oeno enim, vel Sylla (quem docti Utium vocant, cujus rei nullum veſtigium hactenus potui deprehendere) aperte iterum Strabo: *Supra Carnos Appenninus mons ſitus eſt, is lacum habet exeuntem in Iſaram, qui alium fluvium Atagin recipiens in Adriam effluit: ex eodem lacu alius fluvius Atheſinus in Iſtrum exit.* Locum hunc variè depravatum etiam magis adhucdum confundunt Interpretum aliqui, de quo alibi fortè pluribûs agemus: Hodie interim hoc fidenter aſſero, Iſaram, Hyſarcum, Iſarcum, ſeu Itargum eſſe, unde populis, quos trophæum Hiſarcos vocat, nomen & mentio apud Pedonem Albinovanum occurrit, qui Rhenum, Alpinas Valles, & Itargum non fruſtra conjunxit (infeliciter autem ad Viſurgim uſque trahunt haruſpices quidam): ita verò ille:

Rhenus & Alpinæ Valles, & ſanguine nigro
Decolor infectâ teſtis Itargus aqua.

Idémque Hiſarcus, qui Proprio Brixinenſi Hiſaccus & Iſarcus, hodiéque ex nominis reliquiis Eiſack vocitatur, ad pontem Druſi, ſeu Bauzanum Diaconi, Bulſanum noſtrum, Atagin excipit, ſeu Atheſin, & in Adriaticum defert: Ex altera verò ad Orientem parte Syllam idem Appenninus parit, qui aut Atheſinus eſt Straboni, aut in Atheſinum, Oenum, effuſus, in Iſtrum exit: Ego ut, quod res eſt dicam, Librarium in medio ævo locô Oeni (ùt etiam aliqua Pauli Diaconi exemplaria habent) Inus ſcripſiſſe cenſeo, ùt Heppidanus &
Ad A. 913. ante ipſum Hermannus Contractus in Chronico, ac Reginonis Con-
Ad A. 912. tinuator illum compellant, quem alius pravè in Altheſinum detor-
Ad A. 913. ſit. Verùm quidquid de his ſit, concedendum tamen mihi eſſe puto, Appenninum Brennerum noſtrum eſſe, cùm hi duo fluvii in eodem omnibus perſpectam trahant originem: Cæterùm Appennini nomen corruptè hîc montibus noſtris, utùt latiori etiam in
202. ſenſu à Strabone inditum eſſe (ùt etiam Scheuchzerus notavit) modò non diſcutio: ſufficit nobis illum intellexiſſe montem, qui fluvium in Atheſin & in Oenum, Iſtrúmque emittit, qui certè Brennerus eſt,
f. m. 108. nec alium Ariſtotelem intellexiſſe etiam Aventinus contendit. Hiſtorico & Geographo Poetam jungimus Baſſum, qui in laudem Germanici

manici Cæſaris ùt nobis fidem ex primo Epigrammatum libro Maximi Planudis Beatus Rhenanus facit, ita ſcripſit: p. m. 435.

Saxa Pyrenæi, & depreſſæ Vallibus Alpes
Quæ Rheni fontes haud procul aſpicitis.
Vidiſtis Radios Cæſar Germanicus edit,
Quos cum Teutonibus fulgure belligerans.

Quin & Senecæ Pyrenæus noſter innotuit: *totum Italiæ latus*, inquit, *quod infero mari alluitur, major Græcia fuit: Tuſcos Aſia ſibi vindicat, Tyrii Africam incolunt; Hiſpaniam Pœni, Græci ſe in Galliam immiſerunt, in Græciam Galli:* PYRENAEVS *Germanorum tranſitum non inhibuit: per invia, per avia, per incognita verſavit ſe humana levitas.* Senecæ coævum cognatúmque jungimus Lucanum ita canentem: Conſol. ad Helv. Matrem c. 6. p. 629.

- - - nunc deſuper Alpis
Nubiferæ Colles, atque aëriam Pyrenem
Abripimur. L. 1. v. 688.

Alpes enim cum Pyrenæo noſtro, non illis Hiſpaniæ montibus conciliabis. Vati Latino Græcus ſuccedat Dionyſius Alexandrinus (ſub Auguſto, alii ſaltem ſub Nerone vixiſſe ferunt) quem Latio ita donavit Urſinus poſt memorata Hercyniæ ſylvæ juga ſcribentem: Dionyſ. in perieg. p. 29.

Poſt hos autem Pyrenæus mons & Domicilia Celtarum
Prope fontes pulchriflui Eridani.

Nec aliter nobis hunc Poetam Celeberrimus ejus Interpres Euſtatius dedit: Ed. Baſ. 1556.

Hos autem juxta Pyrenæus mons & Domicilia Celtarum
Prope fontes pulchriflui Eridani.

Qui ſecundùm quoſdam nunc Padus dicitur: ita utriuſque Interpres Pertrandus ex fide reddidit. Sub Domitiano Silium audiamus ita canentem:

- - - - celſísque nivoſæ
Pyrenes trabs lecta jugis. 1. 1. v. 350.

Quis enim nives in montibus Iberiæ quæret? ubi de noſtris Strabo teſtatur, quòd ſuper glaciem glacies invicem incumbat, *ingruentibûs maximè nivibûs.* Eutropius Cimbros *Alpium nives* emenſos eſſe: Plutarchus *per glaciem altámque nivem* ad juga Alpium contendiſſe &c. ut Juvenalem, Claudianum & cæteros taceam. His demum optimi ævi Scriptoribus Plinii II. accedit Authoritas hæc promentis: *Germaniam cùm plurimæ gentes, ac propè infinitæ vaſtitas interjacentis ſoli tum Pyrenæus, Alpes, immenſique alii montes, niſi his compararentur, muniunt, dirimúntque:* Et quamquàm magnus ille Lipſius Pyrenæum hunc montes illos Hiſpaniæ hîc intelligi crediderit: *Itáne*, inquiens, *Pyrenæus inter Germaniæ terminos? ita, ſed latè illius ſumptæ, ut Gallias etiam comprehendat.* Et mox: *Ergo Germani in Hiſpaniam? non quod ſciam, ſed Galli, id eſt Celtæ, à quibus & Celtiberia nomen habet.*

Paneg. Traj. p. 381.

Haud immeritò tamen hunc errorem Perilluſtris Valvaſſorius notat: Aventinus quoque Plinium de Brennero noſtro intelligendum aſſerit. Et ſanè quis ſuprà Carnos ad Rheni fontes ad Atheſin, Hiſarcum, Oenum, Syllam, quis circa Aquilejam Veronámque ad tranſitum Germanorum Cimbrorúmve in Italiam montes illos Pyrenæos Hiſpaniæ collocabit? Híne, Hiſpani nempe Celtiberos à Gallis Celtis eadem natione dirimunt, an noſter Italos à Germanis? Et quis Pyrenæus munire Germaniam poteſt, qui ad Alpes, an qui remotiſſimus ab illa eſt? Nec illud fortè prætereundum videtur, noſtrum fere ſingulari numero Græcis Latiníſque expreſſum: Inſupérque etiam Authores poſt jam enarratos non deeſſe, qui hujus Pyrenæi noſtri vix non omni ævo meminerint: Stephanus Byzantinus Sæculo V. Pyrænem montem Europæ habet, non montes, quales illi Hiſpaniæ ſunt, ùt iterùm opinatur Valvaſſorius Baro; Suidas denique circa ſæculum decimum, & quod excurrit, Scriptor apertè ab illis Hiſpaniæ montibus diſtinguit: *Pyræne, & Pyrenæi montes*, ait, *pertinentes, ad Heſperiam, & Iberiam, ejus loci tutela ſunt:* Non enim ait: Heſperia *ſeu* Iberia. Quid autem Heſperia diverſa hîc ab Iberia fuerit, Virgilius docet:

l. c.

f. 570.

f. 24.

f. m. 852.

Æn. I. 530.

Eſt locus, Heſperiam Graji cognomine dicunt
- - - - - - - - - nunc fama minores
Italiam dixiſſe ducis de nomine gentem.

Et

Et Æn. II. 781.

Ad terram Heſperiam veniens, ubi Sydius arva
Inter opima Virûm leni fluit agmine Tibris.

Hinc Ferrariùs probè omnino advertit, Græcis Heſperiam ſemper Italiam non Hiſpaniam eſſe: Accedit his Claudiani authoritas, nobis ùt plurimùm amplectenda: Cit. lex. lit. H. p. 313.

Eſt Latus Heſperiæ, quà Rhætia jungitur oræ.

Dubitationem denique omnem eximit Otho Friſingenſis Sæculi XII. Scriptor fide omnium calculô digniſſimus: De Conciliabulo Brixinæ, in Epiſcopatu noſtro ſatis noto, ita locutus: *Eapropter pluribus ex Italia, Gallia, Germania apud Bajoariæ Civitatem Brixinoram in ipſo Pyrenæo haud procul à Valle Tridentina ſitam coadunatîs Epiſcopîs Princeps Curiam magnam celebravit.* Edit. Argentorat. f. de anno 1515. p. 2. c. 1. f. 1.

Verùm ut etymologiæ quoque hujus, qua de cauſa nimirum mons Brennerus, Appenninus ac Pyrenæus dictus fuerit, rationem reddamus, & hanc ex Illuſtriſſimo Maffejo afferimus: *Credibile omnino eſt, in Italorum lingua iſthanc vocem ſignificâſſe ſummitatem, ſive rem altiſſimam, & inde nomen Appennino, utì & linguæ Latinæ voces remaniſſe, pinna & pinnaculum, utì & Deo Pennino, quem ſummo ſacratum vertice teſte Livio Alpini hi populi colunt.* Verona Ill. t. 1. f. 176. L. 21.

Eadem Bocharto ſedet ſententia, & per vocem *Penn* montis acumen intelligi inſigniter more ſuo ex Lingua etiam Sacra docet: ex Lingua autem Celtica (incolis utique noſtris ante Tuſcos uſitata) deſumptam Cl. Wachterus commonſtravit: *Celtica penn pinn excelſum & ſummitatem ſignificat, Latinos ab eodem principio formâſſe Peninus, Penninus, Appenninus, ex dictis manifeſtum. Inde Alpes Peninæ, & Appenninæ, montes prælti, faſtigiati, & in altiſſima cacumina exeuntes.* In Chanaan p. 753. Quod nomen Pyrenæi & Pyrenes attinet, id pariter ex Celtica voce, non ex Græca tantùm (ùt aliqui cum Pineda ad hanc vocem ſentiunt) deſcendere credimus, nam etſi Græcis Πῦρ ignem ſignificet, & Brenner *à præuſtis intra ſinus Alpium nive membris*, aut à frequentia fulminum cum Rhenano, aut ab urendo cum Aventino forte quis exſplicet; malim tamen cum Cl. Wachtero ſincerè profari, ab ipſo etiam Brennero vocabulum Pyrenæi & Pyrenes deſcendere, *Brenner*, inquit, *ſummitates ſunt Alpium Rhæticarum Tyrolenſium: Græcis* In Steph. Byzant. L. V. Plin. 3. 20.

Græcis enim πρῶν & πρυὼν eſt eminentia montis, cacumen, vertex, à πρόειμι exſto, promineo: Cambris Bre, mons, collis, Breon, montes, Bryn, collis; ab his initiis ſive Græcis ſive Celticis videntur deſcendere non ſolùm Brennorum montium (ſunt autem duo cæterîs eminentiores) ſed etiam Pyrenæorum, & gentium Alpinarum appellationes, cujuſmodi memorantur in veteri Rhætia Brenni, Brenci, Breones, Briones, &c. nec admodùm ab his diverſa Cellarius prodit (licèt cum hoc Brencos, ſeu veriùs Breucos mallem in Pannonia quærere.) Imò ipſum Brenneri nomen antiquiſſimum & Celticum eſſe, nec ante aliquod tempus (ùt Noſter Burglechnerus ſentit) ab incolis ſic cognominatis Manſi cujuſdam, vulgò des Brenner-Hoffs Poſſeſſoribus, aut certo ventorum urentium genere prognatum eſt: ùt tum ex antedictis, tum ex teſtimonio Illuſtriſſimi Leibnizii conſtat, ita enim ille in Celticis: *Bre mons, Collis Bryan, collis, Sax. Brynck. add. Pron. alti montes, Celtis Brenner, ita Alpium Tyrolenſium ſummitates appellantur; Idem ergo nomen commune Alpibus & Pyrenæis.* Addamus his omnibus Junii Philargyri teſtimonium, qui de hoc, aut Alpibus noſtris vicino monte ſic teſtatur: *Mella amnis in Gallia Ciſalpina, vicinus Brixiæ oritur ex monte Brenno;* Ex Alpibus nimirum Rhæticis, quas Camuni Rhætiæ populus Brixiæ vicinus incoluit. Et hunc Brennerum noſtrum nemo utique Vindeliciæ adſcribet, cùm non tantùm medius Epiſcopatûs Sabionenſis tractui, ſed toti ferè Tyroli noſtræ incumbat, nullúſque hactenus Vindelicos ultra Oenum promoverit, imò in Tyroli ad Oenum vix unquam locârit. Inſipida enim eſt Aventini & ſequacium hariolatio ex Brennis Rhætiæ die Braunauer in Norico, tantô intervallô, ſine ulla ratione, & fere etiam etymologia ipſis tam chara venantium.

CA-

CAPUT XXIII.

Nec non populos ab hoc denominatos, inter quos Veldidenæ Incolæ.

EX Græca & Celtica Lingua Brenneri deductam nomenclaturam & originem antiquiſſimam eſſe, probè nunc, ùt confido, perſpectum erit omnibus: jam ejuſdem quoque partis populos conſiderabimus, quos Scriptorum aliqui nec incelebres, nec novi Brennos, & Breunos, & erroneè Brencos ac Breucos, atque paulò poſt legitimo rurſum nomine Briones ac Breones, moxque iterum non ſine mendo Ibriones, ac Pæones compellant. Ad Inſtituti igitur noſtri rationem firmandam, Authores, qui illorum meminêre, ſecundùm ordinem, id eſt, ætatem dabimus; Inter quos tanquam cæterîs antiquius minimè omnium trophæum illud Alpium Plinii ſilendum eſt, utpote quod inter populos ab Auguſto in poteſtatem Romanam redactos hos recitat:

Gentes Alpinæ devictæ
Triumpilini, Camuni, Vennonetes, Iſarci, Breuni &c.

Inter Authores primus quod ſciam, Strabo mentionem facit, illô ipſô, quô de Rhætia & Alpibus differit, locô: *Cæterùm Rhæti ad Italiam uſque pertinent, quæ ſupra Veronam & Comum. Vinum Rhæticum inter Italica egregiè commendata non ſanè inferius, in montanis illorum radicibus naſcitur, ipſi autem ad ea uſque loca, quæ Rhenus ſecat, extenduntur: hujus autem nationis ſunt Lepontii, & Camuni & Vindelici, & Norîci & montana exteriora tenent majori ex parte cum Brencis, & Tenavis his jam Illyricis:* Ita Editio Janſoniana, nec diverſa Veneta Pincii habet, & hujus tenoris complures aliæ: Emendatiſſima tamen, quam nobis haud ita pridem cum notis Caſauboni, ac reliquorum omnium Cl. Almelovenius dedit, correctiorem pariter nobis hunc locum ſuppeditat: *Rhæti uſque ad Italiam pertinent ſupra Veronam & Comum in radicibus montium, quos illi colunt, vinum*

De ann. 1652. 12. p. 275.
De ann. 1510. Amſtelod. 1707. f. à f. 313.

vinum Rhæticum naſcitur, quod laudatis Italiæ vinis non videtur cedere, pertingunt autem etiam uſque ad loca, per quæ Rhenus fertur: Hujus gentis ſunt etiam Lepontii, Camuníque, Vindelici autem & Norici montana exteriora tenent, magna ex parte cum Breunis & Genaunis, qui jam ad Illyricos pertinent. Si ſitum nempe ſpectemus, non ſi gentem, quippe ſi hanc reſpiciamus, fidem Appianus facit, *Rhætios, Noricos - -* De bell. Illyr. f. 659. *- - Illyricos omnes arbitrantur.* Geographorum Principi Lyricorum Ducem jungimus partæ de Rhætis victoriæ encomiaſten, dum canit:

L. 4. Ode 4.

- - - - militè nam tuo
Druſus Genaunos implacidum genus
Brennóſque veloces, & arceis
Alpibus impoſitas tremendis
Dejecit acer plus vice ſimplici.

Huic proximus Florus eſt Auguſtæi pariter ævi Scriptor, ita verò ille: *Sed omnes illius cardinis populos BRENNOS, Vennones, atque* l. 3. c. 19. *Vindelicos per privignum ſuum Claudium Druſum perpacavit.* Vergente ad finem Sæculo I. Plinii adhuc teſtimonium ſuppetit ita narrantis: *Fertini & Tridentini & Bernenſes Rhætica oppida:* Qui locus certè depravatus mirè torſit Interpretes, Bernenſes, Berbenſes, Beruenſes plerumque aut legentes, aut exſplicantes: Cluverius in Italia antiqua Berunum & Belunum idem facit, quamvis idem Plinius in Venetorum agro Bellunum & Ptolomæus in Mediterraneis Venetiæ collocet, nec exſpectari facilè poterat quiſpiam, qui huic loco mederetur, niſi illorum locorum peritiſſimus aliquis, ex quo ipſe An- f. m. 91. tiquitatum Bellunenſium Scriptor & Civis Joannes Pierius Valerianus Beruam cum ætatis ſuæ peritioribus Polzanium eſſe voluit: cujus rei mallem rationes addidiſſet, quas nullas hactenus inveni. Sed fuit tandem nuper, qui inſigniter illuſtrata omni illa Regione nodum hunc ſolveret, inſtar nimirum Alexandri Macedonici, Scipio Veronenſis, his ex Italico translatis verbis: *Enumeratis omnibus à Plinio in hac Regione locis ignotus duntaxat remanet, quem ille Bernenſes vocat, Rhætis adſcriptus: Berna enim fruſtra in his partibus etiam ab induſtriis quæſita eſt Geographis: Et malè alii credidêre, Bellunum intelligendum eſſe, quod tamen author diſtinctum à Bernenſibus adducit: Videtur igitur nobis indubitatò legendum eſſe Breunenſes & illi ipſi intelligendi, quos Horatius inter devictos ab Auguſto in ipſorum montibus Rhætos*

tos, Breunos vocat, quos pariter Breunos Inſcriptio Gentium Alpinarum ab Auguſto devictarum compellat: & forte Breunos etiam Ptolomæum nominare voluiſſe illos, quos hodie in illo Bechunos legimus: addítque paulò poſt: *Quos Breunos, Breones Venantius Fortunatus* dixit. Sæculô dein alterô Ptolomæum damus, non ſine errore tamen, quos illi in Rhæticis Vindelicíſque communes vult Cellarius, nam cum Vindelicis illos confundit, quibus tamen vicinos meliùs dixiſſet, præſertim Lycatiis, verba ejus hæc ſunt: *Quæ magis Septentrionalia ſunt Vindeliciæ, tenent Runicatæ, ſub his verò Leuni & Conſuanatæ: poſt Benlauni, poſt Breuni & juxta Lycum fluvium Lycatii,* nobis tamen Breunorum meminiſſe etiam hoc loco ſatis eſt. Hos pariter Brennos ſub Pæonum (puta Breonum) nomine apud Appianum latere cenſemus; nam dum l. 3. de bell. Rom. Illyricum deſcribit, mox pergit: *Romani verò non hos duntaxat, ſed Pæones ultra eos, nec non Rhetios, Noricos &c. - - - Illyrios omnes arbitrantur.* Supra Illyrios enim ad Noricos & Rhætios Breones ſiti ſunt, non Pæones, utpote quos curatiores cum Cellario Geographi in ſola Macedonia quærunt. f. 115.

Sæculo, quod ſequitur, tertio Divus Hippolytus Chronicon ſuum adornavit, ubi inter populos alios etiam hos recenſet: *Pannoni, Peones, Norici, Dalmatæ,* ubi Breones reſtituendos ad exemplum Labbei, qui locô *Hibeni Hiberi* legit, minimè dubito: nam cùm Sanctus hic Pater ſermonem de gentibus, quæ linguas ſuas habent, hîc faciat, Pæones Macedoniæ non videtur intelligere voluiſſe, utpote qui græcè loquerentur, ſed illos, qui Noricis contermini ſunt, ad Appiani mentem nimirum. Ed. Fabric. ſect. 6. p. 52.

Sæculum quartum binos nobis ſubminiſtrat Horatii Interpretes Acronem & Porphyrionem, iterum non ſine mendis more Grammaticorum illius ævi, haud tamen curandis, ſi rem noſtram habeamus: Hic igitur: *Gelonos Brennóſque* &c. *Ciſalpinæ Gentes ſunt hæ Implacabiles.* Prior: *Geloni & Brenni gentes Galliarum.* p. m. 520.

Sæculo VI. Venantius Fortunatus inclaruit, quem paulò ante Illuſtriſſimus Maffejus laudavit ita canentem:

Pergis ad Auguſtam, quam Findo Lycúſque fluentat
Illic oſſa Sacræ venerabere Virginis Afræ
Si vacat ire viam, neque te Bojarius obſtat
Quam vicina ſedent Breonum loca, perge per Alpem
Ingrediens rapido quo gurgite volvitur Oenus.

Quódque hic in Carmine ſcripſit doctus hic Præſul, alibi in proſa jam priùs dixerat, dum in Epiſtola ad Gregorium Turonenſem libro 1. Carm. præfixa iter ſuum narrat, in quo emenſus eſt *Oenum Breonio, Dravum Norico;* quin ipſe, de quo modo diximus, D. Gregorius *Brionas Italiæ Caſtrum* nominat: Caſſiodorio eodem pariter ſæculo claro *Breones* militaribus officiis aſſueti laudantur, quos ſuppar his Jornandes *Ibriones* dixit, potiùs *Briones* dicendos: Ita enim à pleriſque, præcipuè Velſero corrigitur, ſed verba exſcribimus: *His enim non defuêre auxiliares,* (Aëtio contra Attilam) *Franci, Sarmati, Armoriciani, Litiani, Burgundiones, Saxones, Riparioli, Ibriones quondam milites Romani, tunc verò jam numerô Auxiliatorum exquiſiti, aliæque nonnullæ Celticæ vel Germanicæ Nationes;* ubi *Riparioli, Ibriones,* etiam Grotius legit, id tamen longè adhuc melius eſt, quàm quòd multæ ac primæ editiones cum Manuſcriptis habent, nempe *Ripariolibriones,* quæ lectio certè mendoſiſſima, ùt vel primo intuitu appareret, bina etenim hæc verba aut à Librariis malè conjuncta, aut poſtea ab Editoribus non benè diviſa fuêre, ſecus enim ſenſus verus ac clariſſimus ſtatim prodiiſſet, nempe *Riparioli, Briones.* Eodem fere tempore Acta Conciliabuli Aquilejenſis apud Baronium teſte Bollando in S. Ingenuino noſtro horum Breonum Eccleſiam *Bremenſem* compellant: Bollandus verò ritè in *Brennenſem* commutat, quam emendationem etiam Vir Clariſſimus Bernardus de Rubeis, qui in Codice ſuo pariter erroneè *Beconenſis* habuit, ſecutus eſt. Ultimam demum eorundem memoriam Paulus Diaconus ſæculô adhuc octavô ſervavit, *qua de cauſa,* inquit, *Fortunatus in tantùm B. Martinum veneratus eſt, ut relicta Patria paulò ante, quàm Longobardi Italiam invaderent, Turonis ad ejus B. Viri ſepulchrum properaret, qui ſibi, ùt in ſuis ipſe Carminibus refert, illic properanti per fluentilia Menti, & Rounam perque Oſupum & Alpem Juliam, pérque Aguntum Caſtrum, Dravúmque & Byrrhum fluvios ad Briones & Auguſtam Civitatem, quam Virdo & Lech fluentant, iter fuiſſe deſcribit.* Et iterùm: *In Regione Brionum ſanguis de nubibus fluxit, & in Oeno fluvio quaſi rivuli cruoris emanavêrunt:* Eidem pariter ſæculo accenſendum jungimus Friſingenſium Præſulem Aribonem noſtrum, Iter per Tyrolim D. Corbiniani deſcribentem, dum ait: *Cùm in Breones pervenit, juxta ſylvam* &c. Et rurſus in translatione S. Corporis: *Cùm autem veniſſent partibus Vallenſium* (meliùs adhuc alius apud Meichelbeckium Codex *Valle-*

De glor. Mart. l. 1. c. 42.

L. 1. Variar. XI.

De Reb. Goth. f. 12.

In Hiſt. Goth. p. 664.

T. 1. Febr. ad diem V.

De Schiſm. Aquil. p. 124.

l. 2. c. 13.

l. 4. c. 4.

c. 11.

c. 35.

Vallenenſium, hoc eſt, *Vall-Oenenſium) cum Sancto Corpore ejus, quidam Nobilis Romanus, nomine Dominicus Breonenſium plebis Civis* (ex febre) *priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.* Horum agmen claudat ſæculô nono iterùm Epiſcopus, Freculphus nimirùm, qui ad exemplum Jornandis inter populos Aetio contra Attilam ſe jungentes *Riparioli-briones* inſcitiâ pariter Librariorum affert. T. 2. l. 5. c. 14.

Ex quibus omnibus haud difficulter eruimus, Brennos, Breunos, & malè ſcriptos Brencos, aut adhuc pejus cum Breucis Pannoniæ confuſos, (ùt tum in editionibus Horatii antiquioribus comparent.) Item Briones & Breones fuiſſe Rhætos. *Rhæti* autem, *gens Tuſca* fuit, ait Stephani Epitomator, vel ùt aliæ Editiones cum noſtra habent, *populi Tyrrhenici:* quales & Livius de Tuſcis locutus fecit, *Alpinis quoque ea gentibus haud dubiè origo eſt, maximè Rhætis.* Et Tuſcos hos Brennos ſeu Breunos quis negare antiquiſſimos vel auſit, vel poſſit? occurrunt in Trophæo, Strabone, Horatio, Plinio, Floro, Appiano & S. Hippolyto, Acrone & Porphyrione, Venantio, Jornande, Paulo Diacono, Aribone ac demum in Freculpho. Veloces Horatius dixit, fortem populum ac Potentem ex Jornande & Freculpho colligimus: Franci enim ac Sarmatæ, Burgundiones ac Saxones, & qui cum his narrantur, utique ſatis celebres eô jam ævô, ac numerô frequentes, imò integri populi, ſeu nationes, ùt illi loquuntur fuêre; hinc facile in eorum deſcendo ſententiam, qui Brennos & Breones noſtros non tantùm circa Brennum montem (etiam latiùs, ùt paulò ante pluribûs egimus, vel intellectum vel extenſum) collocant, ſed uſque ad fauces Alpium noſtrarum, præcipuè ad Oenum, ùt ex Venantio colligimus (quà ortum & occaſum hi populi ſpectant) & ita per totam Oenivallem uſque ad Licatios diffuſos arbitrantur. Et hos Veldidenæ noſtræ Incolas accoláſque gentis Hetruſcæ propaginem, velut nationem locô totius provinciæ ac Regionis poſitam in Jornande ac Freculpho reperio, nullos autem Vindelicos, quos Brenni vel Oeni accolas nemo utique dixerit: ad confines tamen inter ſeſe fœderibus, matrimoniis, atque familiaritate junctos fuiſſe haud refragabor. Num autem hi populi monti, vel mons populis nomen dederit, parum refert, & utrumque in noſtris his partibus occurrit; nam v. g. *Mons Vennonis (Veſt-Monza* Rhætis Griſonibus, quod nobis corrupte *Fünſter-Münz* eſt) forte Vennonibus nomen tribuit, vel hi monti: partes Vallen-

ſium Ariboni memorantur, qui ſunt Oeni-Vallis incolæ ab hac Valle, per quam rapido gurgite Oenus volvitur, ùt ait Venantius, incertum an à Valle, vel flumine nomen ſit inditum: Occurrit ulteriùs apud Gruterum *Atheſinorum Respublica*, eò quòd ex Valle Alpium Tridentinarum, per quam Atheſis fertur, aut à fluvio populis nomen hæſerit, ſúntque hodie nobis hi populi Atheſini die Etſchländer: Vallis porro Ananiæ Incolæ an Naunes vel Genaunes ſint, hîc non diſquiro, utì, & an à Valle, populis aut fluvio Nauno nomen relictum illis fuerit, vel è diverſo Vallis utrique nomen ceſſerit, pariter non diſcutio: ſufficit nobis ſic incolas, accoláſque etiam latiùs diffuſos, imo totum etiam Epiſcopatum Brixinenſem Brennenſem, & apud Jornandem ac Freculphum, ut audivimus, potiorem Regionis partem, licèt ſeriùs ab iſtis compellari: Illud verò ex his, quæ modò diximus, compertum eſſe crediderim, Genti tam celebri urbem etiam clariorem cæteris aſſignari oportere, præſertim cùm à primo, ad nonum uſque, ſæculo conſtantiſſimîs Authorum teſtimoniis inclaruerit.

CAPUT XXIV.

Reliquos quoque Rhætiæ populos longè diverſos à Vindelicis fuiſſe.

INter alia, quæ Cl. Velſerus pro ſtabilienda Auguſta ſua, ſola, ùt vult, Rhætiæ utriuſque, à prima Provinciæ Conſtitutione, urbe principe affert momenta, illud ultimum non eſt, quòd Rhæti, Vindelici, & Norici inter ſe populares à Tuſcis oriundi omnes ipſi videantur: ubi etiam contra alios pleróſque contendit, Vindelicos Rhætorum familiam, nuncupationem hanc ſuam privatam à Confluentibus reperiſſe, cæteroquin autem Rhætorum gente ac nomine plerumque cenſos fuiſſe manifeſtum & compertum aſſerit, ratione, quantùm quidem aſſequi potui, non alia, quàm quòd Polybius Alpinos & tranſalpinos ejuſdem generis agnoſcat: Verùm enimverò

Rer. Boic. l. 3. f. 88.

hæc

hæc diſcutere cupienti altiori longè ab origine hæ res petendæ ſunt, & primi inquirendi Alpium noſtrarum incolæ: ab Aſcenaze Noe Nepote habitatores harum Alpium Sprecherus deducit, Celtáſque vocatos aſſerit; De primo Aſcenaze nempe, ulteriùs indagare mihi neceſſarium haud videtur, contento de Celtis primis Alpium Incolis cum fide reſcire: Dio igitur apud Cluverium diſertè habet: *Rhenus ex Alpibus Celticis paulo extra Rhætiam oritur:* Editio Stephani: *paulo ſupra Rhætos:* Verùm poſteriora non moror verba, cùm omnes Tacito aſſentiantur, narranti, quòd ſit Rhæticarum Alpium inacceſſo ac præcipiti vertice ortus. Celtas igitur ante Rhætos has Alpes incoluiſſe cùm pronum ſit credere, indagandum nunc ulteriùs eſt, quidnam gentis Celtæ fuerint: Appianus equidem de his fabulas narrat, ex reliquis tamen verbis teſte Cluverio ſatìs clara quidem, ſatíſque perſpicuè colliguntur, dum ait: *ferunt Regionem ab Illyrio Polyphemi filio cognomen accepiſſe, Polyphemo quippe Cyclopi ac Galateæ Celtum & Illyricum, & Gallum filios extitiſſe, eoſque ex Sicilia progreſſos Celtis & Illyriis, & Galatis ab ipſis cognomen aſſummentibus imperitaſſe:* Gallos nimirum, Germanos, Illyricóſque ab antiquiſſimis mortalibus præ unius, ejuſdémque generis ſive gentis nationibus fuiſſe habitos: de ſolis primùm Gallis Strabo: *univerſos Gallos à Græcis Celtas appellatos opinor ob eorum claritatem:* tum de Gallis, & Germanis ſimul idem iterùm fidem facit: *nam & natura & vitæ inſtituto gentes hæ ſimiles ſunt:* Hos Gallos Galatas ſive Celtas etiam Tauriſcos audiiſſe iterùm iterúmque Strabo teſtatur: *permixtæ ſunt Thracibus*, ait, *intra Iſtrum colentibus, Gallicæ gentes, Boji, Scordiſci & Tauriſci*, ùti & Norici noſtri Tyrolenſes hodie in Valle Puſtriſſa (ùt illam Diplomata Brixinenſia apud Gewoldi Hundium vocant) incolæ nimirum Alpium ſupradictarum & Dynaſtiæ Taurenſis in Valle Oenana: de illis Plinius: *Juxtáque Carnos quondam Tauriſci Appellati, nunc Norici:* & Strabo: *Poſt hos contermini jam intimi Hadriatici Sinûs receſſui & locis ad Aquilejam, Noricorum quidam incolunt, & Carni: Noricorum ſunt etiam Tauriſci.* Ad hoſce Tauriſcos etiam Vindelicos pertinuiſſe in ſuo de Vindelicia & Norico libro Cluverius eruditè agit, quò brevitatis cauſa Lectorem remitto, & planè ad Illyricum unam ex Celticæ veteris Regionem etiam Vindeliciam pertinuiſſe laudatus jam ſæpè Strabo affirmat: *primùm Illyrica exponimus, quæ ad Iſtrum & Alpes attingunt, ſita in medio Italiæ, & Germaniæ, incipien-*

Germ. ant. l. 1. f. 21. f. 27.

l. c. f. 20. Libr. de reb. Illyr. f. m. 494.

l. 4. p. 443.

c. 1.

l. 7.

l. 3. c. 20.

l. 4.

c. 2.

l. 7.

cipientia à Lacu, qui eſt apud Vindelicos, Rhætos, & Helvetios. Hinc Servius Gallicana Rheni frigora ad ortum ejus dixit: Danubium ex Celtis & Pyrene naſci Herodotus, ex montibus Celtarum, qui Galli nunc appellantur Procopius, & Eridanum ex montibus Celtarum Dionyſius Alexandrinus naſci voluit.

Ex quibus omnibus certum denique fit, primos poſt diluvium Alpium noſtrarum incolas, Celtas, Illyricóſque, populum Gallicum tunc, ſeu mavelis, Germanicum fuiſſe, cujus quædam & hodie monumenta apud nos ſuperſunt, quemadmodùm paulò ante in Celticis Græcíſque montis Brenneri ſeu Pyrenæi originibus & Dynaſtiæ Thaurenſis, ac montium quos Thauren vocamus, etymologia monſtravimus: In verbo *Brix* vero, quod noſtris ineſt, Brixentis Plinii, ac Ptolomæi Gallicum aliquid antiquiſſimum Illuſtriſſimus Maffejus ſe deprehendiſſe annotavit, qualia fortè etiam (ſi non ejuſdem, ſaltem poſteriorum temporum) ſunt paſcua apud nos montana: die
Æn. 3. v - - - Alpen, & tota Regio noſtra; cùm teſte Servio ad Virgilium: *Alpes Gallorum linguâ alti montes vocantur. Ach* torrentes in Ezenſi & Achenſi vallibus; *Gaw* pagus, Regio utì *Vinſchgaw* ſeu Vennones Trophæo: *Lueg* Specula, *Mallum Mals* ſeu judicium publicum, & quod huc pertinet; *Geding*, & *Malſtett* in eadem venuſta Valle: Et ſi quæ ſunt alia innumera alibi adhuc fuſiùs memoranda Gallicæ ſeu Celticæ aut Germanæ antiquitatis veſtigia. Et hoc utique ſenſu verum eſt Alpinos & transalpinos ejuſdem eſſe originis; cùm primi Tyrolis & Vindeliciæ Incolæ Galli, Celtæ, & Illyrii fuerint: Neque
l. 2. XIX. p. 97. aliter Polybius loquitur: dum de Gallis etiam Inalpinis illi ſermo eſt: *quòd nimirum transalpinis arma in ipſos moventibus bellum paveſcentes, quod pernitioſum fore arbitrabantur, quà largitione munerum, quà generis communione allegata hoſtis jam concitati impetum à ſe amoliti in Romanos eundem irritârunt, atque adeò expeditionis Comites ipſi fuerint per fines Etruſcorum, nam & ipſi expeditionis participes erant, impreſſione facta prædam quidem avertêre magnam, finibúſque Romanorum ſine periculo exceſsêrunt. Verùm in Patriam ubi rediiſſent, mutua cupiditate rerum captarum ad ſeditionem impulſi & prædæ & exercitûs ſui bonam partem amiſêrunt. Familiaris eſt hæc Gallis inſania, quoties aliena rapuêrunt, ubi præſertim merô cibóque ſe ingurgitârunt.*

Ex quibus omnibus manifeſtè liquet, Communionem hanc generis non ad Rhætos & Vindelicos, ſed ad Gallos ſeu Celtas, qui

ante

ante Rhætos in his Alpibus erant, pertinere. Si quis verò Hetruſcos expeditionis, ùt audivimus, comites jactet, is ſciat, non noſtrates illos Gallis extitiſſe comites, ſed illos Tuſciæ: qui fortaſſe, ne & ipſi finibus ſuis inſtar Tyrrhenorum ad Padum ejicerentur, adacti formidine, maluêre ſocios Gallorum, quàm amicos Romanorum (quorum creſcens potentia pro more ipſis inviſa eſſe potuit) prudenter agere: Nam in recenti adhuc hærere ipſis memoria poterat, quod idem Polybius capite antepenultimo de ipſis teſtatum reliquit: *adſidebant Tyrrhenis Galli, ideoque cum ipſis Commercia frequentabant, deinde cupiditatis oculis in pulcherrimam planitiem adjectis, arrepta occaſione levi, numeroſo cum exercitu nihil cogitantes Etruſcos invadunt: ex Regione circumpadana ejiciunt, atque ipſi planitiem illam occupant.* Ex hac igitur Regione circumpadana ejecti Tyrrheni ſeu Etruſci num in vacuas Gallorum in Alpibus ſedes, an verò in alias & fortaſſis remotiores ab his Alpes, an verò propinquas primùm vî, vel precariò ſeceſſerint, haud invenio. Sunt, qui ex Livio Colonias jam priùs in Alpes ab his ipſis Tyrrhenis miſſas velint, an verò in oppoſitas Pado, valde ſubſiſto, cùm ſæpiùs, teſte iterùm Livio, inter utrumque hunc populum prælia interceſſerint, dum inquit: *nec cum his* (ad Cluſinam Gallis) *primùm Etruſcorum, ſed multò ante cum iis, qui inter Appenninum, Alpéſque incolebant, ſæpè Exercitus Gallici pugnavêre, Tuſcorum enim*, pergit ille, *ante Romanum Imperium latè terra marique opes patuêre mari ſupero, inferóque: - - - Inter utrumque mare vergentes incoluêre urbibus duodenis terras, priùs cis Appenninum ad inferum mare, poſtea trans Appenninum totidem, quot capita originis erant, coloniis miſſis, quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, uſque ad Alpes tenuêre: Alpinis quoque gentibus ea haud dubiè origo eſt, maximè Rhætis, quos loca ipſa efferârunt, ne quid ex antiquo præter ſonum linguæ nec eum incorruptum retinerent.* Ex quibus verbis in eam pronior conjecturam forem, Colonias non ad Gallos in Alpibus habitantes miſſos (quis enim ad hoſtes Colonias mittat?) ſed inſtar urbium duodecim tanquam capitum *cis* Appenninum, totidem urbes *trans* Appenninum & in Inſubria à miſſis Coloniis exſtructas fuiſſe, quod & Sprecherus innuit. Originem autem Etruſcam Alpinorum ad ea referendam tutiùs tempora crederem, quibus à Gallis in has Alpes pulſi forte vicem relictis adhuc Gallorum reliquiis reddidêre, & Al-

XVII. p. 96.

l. 7. 33.

p. 23.

pes noſtras Duce Rhæto occupârunt, Regioni Ducis nomine impoſito. Id vero (cum integra Regione ſubacta nimirum) paulatim factitatum, utì & ditionem extenſam cum Tſchudio arbitror; cùm
In Rhæt. c. 5. p. 22. & Comum ſubin teſte Plinio afflixerint. Nobiliores etiam ac potentiores jugi alieni impatientes hæc perfugii loca inſediſſe, neque huic, neque Sprechero refragari eſt animus. Utì nec illud modò
p. 25. impugnabimus, num forte, quod Sprecherus credit, Hetruſci cùm Celtarum operâ, utpote aëri & regioni aſſuetorum, opus haberent, illos amicitiâ ſibi conciliârint, & munitionibus aliquibus fines ibidem cuſtodierint. Urbes certè exſtruxêrunt, cùm multas in bello poſtea Rhætico expugnârint Romani, quemadmodum Paterculus teſtatur. Atque de condito Tridento & altera ad Brennenſes urbe Plinius: Hic mos tamen apud Gallos haud vigebat, aſſerente iterùm Polybio:
l. 2. 17. *habitabant vicatim ſine muris.* Sive igitur Tyrrhenos, Tuſcos ſeu Rhætos noſtros è Græcia, Lydia, terra Chanaan, ſive ex Ægypto in Italiam delatos primùm, ac multis dein ſæculis huic ipſi
It. Ant. l. c. imperitâſſe Italiæ dicamus, ſemper verum erit Cluverii aſſertum: Rhætos à Vindelicis diverſiſſimi generis eſſe; cùm hos conſtanter Gallos ſeu Germanos, Illyrióſque fuiſſe certiſſimum ſit. Cúmque ex illo dein, Tarquinii nempe Priſci, tempore ſæculîs fere ſex ante bellum Auguſti Rhæticum in his Alpibus Rhæti commorati ſint, facilè Alpini omnes, aut plerique ſaltem ex his deſcendere poterant, deleto penitus in hac provincia Gallorum Celtarúmque nomine: donec auctis jam in immenſum Romanorum viribus Liberæ genti utique timendis è re ſua ipſis viſum fuerit initis fœderibus & adſcitis ſociis Noricorum Vindelicorúmque, utùt diverſi generis populorum, armis communi hoſti reſiſtere. Sed huic tandem cum orbe fere reliquo cedere coacti titulis ſuis nobile illud trophæum Alpium implêrunt, in quo, ſi quid ſuſpicionibus liceat, non fruſtra gentes Vindelicas ac Gallicas à reliquis pleriſque Rhæticis diſcriminis cauſâ expreſſas eſſe arguere quis meritò poſſet; cùm ſola hæc inter tot populorum nomina adjecta legamus: Neque interpolationibûs irrepſiſſe credibile fit, cùm in omnibus omnino exemplari-
t. 1. f. 77. bus Plinii ſimili ac conſtanti tenore reperiantur, proùt illa etiam Vir Illuſtris Joſephus Bimardus apud Cl. Muratorium in Inſcriptionum antiquarum Collectione ex eodem Plinio nuper admodùm publici juris fecit, quod vir doctiſſimus, ſi in ullo unquam Codice ab Interpola-

terpolatoribus additum reperiſſet, citra dubium adnotâſſet, cùm etiam verba illa: *non ſunt adjectæ Cottianæ Civitates XII.* &c., quæ aliqui ad Inſcriptionem retulêre, ad Plinii potiùs Contextum pertinere, animadverterit. Quapropter valde ſubvereor, ne rationes Velſeri pro una eadémque Rhætorum ac Vindelicorum gente, atque Tuſca utriuſque propagine tam firmæ non ſint, ut his ſolam unicámque gentis ſat certò, ni fallor, etiam ritibus diverſæ, urbem principem ſuperſtruere valeat.

CAPUT XXV.

Veldidenam à Tuſcis ſeu Rhætis conditam probabiliter aſſeritur.

TErram Chanaan, ſeu Palæſtinam quamplurimis, iiſque ampliſſimis, & potentiſſimis urbibus refertiſſimam fuiſſe non eſt, cur multîs doceam, cùm ex Sacro hæc Codice luce meridiana clariora ſint; Plura deſiderantibus S. Hieronymus, V. Beda, Relandus, Bochartus, & Adrichomius cum Gallis & Anglis, qui ſua itinera deſcripſere, dabunt, harum quoque reliquias haud contemnendas vidit & deſcripſit nuper admodùm R. P. Angelicus Maria Millerus è Servorum B. V. Ordine Oenipontanus. Rhætorum autem noſtrorum proavos Tuſcos, & hos ipſos Chananæos fuiſſe egregiè nos Illuſtriſſimus Maffejus in Originibus Hetruſcis inſtruit, p. 19. 22. cui laudatus paulo ante Seneca facem præfert: *Tuſcos Aſiæ debemus.* 24. Cæterùm idem Illuſtriſſimus Marchio ab hac, una omnino gente, l. 3. c. 23. eadémque Etruſca Italiam, quà patet, univerſam cultam fuiſſe (quam gentem Græci Tyrrhenos nuncupârunt) aſſerit. Qui quòd f. 6. omnia cis Appenninum, & à Pado fluvio ad Alpes uſque occupaverint, Livius docet: Duodecim Civitates, etiam ex hac regione, il- f. 7. lis tribuuntur, à prædictis, quæ in interiori Hetruria ſitæ fuerant, totidem quaſi Coloniæ prognatæ, quæ, quales fuerint, multi fruſtra hactenus magnâ licet operâ inquiſivêrunt. Tradit quoque Pli-

nius ex duodecim illis Civitatibus, quas Tuſci olim trans Padum inſtauraverint, ſolam reliquam Mantuam adhuc ſuperfuiſſe, ego verò ſuſpicor, pergit Illuſtriſſimus Author, has Civitates non hodierno ſenſu pro ſingulis urbibus intelligi debere, ſed antiquo illo, & apud Latinos Scriptores admodùm frequenti, quo Civitas populos integros in unam quamdam Communitatem atque corpus quaſi coeuntes deſignat, quorum unumquodque ex oppidis pluribus conſtare poterat, & vicis etiam ſine urbe ulla; Ita Maffejus; Sed veniam utique Vir, quem adoro, ſummus mihi denegaturus haud erit, ſi ejus pace ſolo veritatis indagandæ ſtudio, quod eſt unicus Litteratorum ſcopus, paullùm ſubdubitare præſumam, num hîc Civitates ſeu Reſpublicæ, utì Docti intelligunt, admitti poſſint, cùm illas apertiſſimè Plutarchus urbes, Plinius oppida, uterque de his ipſis verba faciens, neuter verò Civitates dixerit: Placeat utriuſque verba percipere; prior ex his de Regione Etruſcorum, ſeu quod idem eſt, Tuſcorum, Tyrrhenæa ad Padum & Alpes uſque protenſa locu-

In Camil. f. 72. tus addit: *Hæc octo & decem pulchras, magnáſque urbes habet, & ad quæſtum & ad victum ampliſſimas, Galli has Tyrrhenîs ejectîs occupavêre:* Poſterior: *Venetorum autem Ateſte, & oppida Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicetia, Mantua Tuſcorum trans Padum ſola reliqua.* Ad quæ verba, Gronoviana Plinii editio hanc variantem vetuſti Codicis Lectionem in margine adjicit, *Venetorum autem Adria, Ateſte* &c. quam cùm genuinam eſſe mox evicturus ſim, oppida ſeu urbes Etruſcorum in propatulo erunt, cùm ex Plutarcho certò conſtet, Adriam Hetruſcorum urbem fuiſſe, verba ejuſdem recito: *Nam*

c. 1. *mare quidem Boreum Adriaticum à Tyrrhena urbe Adriæ, quæ ad Notum inclinatur, illud verò, quod è regione eſt, Tyrrhenum appellant,* imo

l. 3. c. 16. ipſius Plinii: *Nobili portu oppidi Tuſcorum Adriæ, à quo Adriaticum mare ante appellabatur, quod & nunc Adriaticum.* Ipſus enim probè novi, atque ex Illuſtriſſimo Maffejo non ſemel didici (quid enim pudeat, unde in Hetruſcis præ cæteris profecerimus, ingenuè profari?) per *Civitates*, Reſpublicas ſeu Communitates deſignari; hinc ubi de Civitatibus Rhætiæ ſermo erat, cautè abſtinui illô ipſô, de quo modò toties nobis ſermo redit, Plinii teſtimonio: *His contermini Rhæti & Vindelici omnes in multas Civitates diviſi:* Nam Communitates intelligi Litteratorum conſenſus eſt, quibus omnibus rite perpenſis hæſitandum non eſt ampliùs, Tuſcos in Alpibus noſtris (ſicuti

(sicutì olim Majores eorum ad exemplum amplissimarum in terra Chanaan urbium tales in Hetruria & ad Padum condidêre) urbes quoque exstruxisse non ignobiles, cujus argumentum Tridentum & Feltria est, evidenti etiam Plinii authoritate suffultum. Indagandum autem nunc sedulò quodnam illud sit, de quo idem Plinius eodem locô differit, dum ait: *Fertini & Tridentini & Bernenses Rhætica oppida.* Et inprimìs quidem adverto, sub oppidi nomine urbes intelligere Plinium, cùm has ipsas Etruscorum urbes Plutarchus dicat, quæ oppida alter compellat, vix unquam urbis nomine usus; nam in tota ejus Italiæ descriptione urbibus utique amplitudine, antiquitate, atque opulentia præ orbe reliquo post Augustum clarissimis referta, ac quantùm quidem per brevitatem temporis licuit, lustrata, nullius urbis nomen inveni, nisi illo in loco, qui per antonomasiam reliqua videtur omnino excludere: *Urbs Roma*, inquit, *vel sola in ea.* Enimverò urbs l. 3. urbs sola, cui par nihil, nihil secundum ullo tempore proferetur. Hinc idem Author, ne alteri cuipiam urbis nomen imponat, paulò post pergit: *ad Padum amnem Italiæ dignissimum omnia nobilibus oppi-* c. 1. *dis nitent.* Coloniæ in quibusdam aut Civitatis nomine tantùm adhibito: dein Tridentum urbem nobilem ac spectabilem semper fuisse quis nescit? antiquitatum reliquiæ vix ullibi in hac provincia tam insignes se offerunt: *Feltriam quoque celebrem etiamnum & Episcopali Sede claram* Cluverius, qui coram inspexit, laudat: *memoratur*, in- It. antiq. quit, *Inscriptioni antiquæ* (duplicem affert, prima *ordinem Feltrensem*, f. 117. altera *Patronum Collegiorum Feltriæ* loquitur) *Antonino in Itinerario*, *Cassiodorio & Paulo Diacono.* Tertium igitur Plinii oppidum pariter urbem fuisse, aut intelligi potuisse nemo utique prudenter obstabit, cúmque aliis rursum concedet, per Bernenses seu Breunenses potiùs nomen populorum non urbis ejusdem præcipuæ fuisse allatum: Nam neque Tridentinam urbem Tridentum vocat Plinius, sed populos pro urbe nominat: idem de Feltrensibus agit, non Feltriam ipsam adducens: Hinc neque urbem quis aut urbis nomen apud Breunenses exspectet, sed solo populi nomine contentus sit, oportet. Ex Brennis autem seu Breunis Beruenses & Breunenses nominis originem trahere nemo non videt, & unà quænam eorum urbs præcipua fuerit, haud difficulter pronuntiat: si præsertim ea, quæ hactenus de Veldidena diximus, combinet; non enim ad Brennum,

num, quem cum pòpulis aliqui ad Alpium fauces extendunt, locus urbi tam amplus, fertilis, ac patens, atque ob confluentes opportunus magìs aſſignabitur, quàm hæc circa Oenipontum, & Veldidenam noſtram vicinia. Si roges, cur populi non urbis nomen expreſſerit Plinius: etiam hujus rei conjecturam afferam, ſed conjecturam tantùm; quæ ſi vero ſit ſimilis, acceptari ab iis aſſolet, qui Rei Litterariæ jura dicunt, donec certiora indagentur. Percepimus hactenus Tuſcos ſeu Rhætos noſtros in Inſubria, Venetia, & omni ad Padum vicinia à Supero ad Inferum mare urbes ampliſſimas tenuiſſe, ex his depulſos, imò ſi Livio fides, jam antea deductas Colonias Hetruſcas has Alpes petiiſſe, Tridentum condidiſſe, complures inſuper in Rhætia urbes ac Caſtella à Druſo expugnatas fuiſſe, repetitis vicibus intelleximus: Has à Celtis ſeu Germanis noſtris exſtructas fuiſſe haud perſuadeor, cùm Taciti, aliorúmque junctis conſtet teſtimoniis, nuſpiam Germanos urbes aut Caſtra condidiſſe, ſed vicatim habitâſſe; pronum igitur eſt colligere, à Tuſco-Rhætis urbes Rhætiæ fuiſſe conſtructas, & nomina eorum pariter ex hac Lingua deſcendere, nempe fuiſſe Tuſco-Rhætica: Exemplum in Valle Engadina ſupereſt, hanc à vocibus *En Co d'Eno* ſeu *in Capite Oeni* Scriptores Griſones deducunt. Quidſi Veldidena aut Veldidina (utrumque enim Antonini in diverſis ac variantibus Codicum Lectionibus reperitur pro medii ævi, ſeu Sæculi octavi E. in I. mutantis modulo) quia *ad Enum* ſita, tale quid nominis Hetruſci, ſeu Tuſco-Rhætici recondat? Linguæ Rhæticæ ſeu vulgaris Romanticæ peritos deſuper conſulo, (ſi quæ tamen antiquæ Rhæticæ ſuperſint in hac Reliquiæ) ex eorum enim, qui hanc calleant, numero non ſum; decantatum autem eſt, nomina hæc Rhætica Romanis non accepta fuiſſe admodùm: Livius hac de re mihi iterum teſtis erit, toties allatus: *Tuſcorum ante Romanorum Imperium latè terra marique opes patuêre, mari ſupero, inferóque, quibus Italia Inſulæ modò cingitur, quantùm potuerint, nomina ſunt argumento - - - - - - omnia uſque ad Alpes tenuêre, Alpinis quoque ea gentibus haud dubia origo eſt, maximè Rhætis quos loca ipſa efferârunt, ne quid ex antiquo præter ſonum linguæ, nec eum incorruptum retinerent.* Quod Hiſtoriæ Romanæ Conditoris teſtimonium, qui renuit, aliud Mela fere Synchroni audiat: *Montium altiſſimi Taurus & Rhætico, niſi quorum nomina vix eſt eloqui ore Romano*, aut ſi mavis cum Aldo legere: *Taurus & Rhætico, &*

l. 8. c. 5.

alii

alii, quorum nomina vix eſt eloqui ore Romano. Rhætica nimirùm nomina fuêre (atque vel hodie ſuppetunt ùt aliqui volunt, ſed ùt mihi videtur ex Latinis temporum ac Regionis vitio depravatæ per vallem præcipuè Venuſtam) tum Alpium, tum urbium, imò & fluminum fortaſſis, quæ corrupto Hetruſcæ Linguæ ſono, & efferata cum populis prolata videbantur Romanis hac in Regione victoribus, quæ & à Scriptoribus eorundem, nil niſi Græcum aut Latinum, oppido latinum, ambitioſa adulatione excipientibus, velùt indigna Romanâ eloquentiâ Auguſti præſertim ævo diſplicuerant: à qua labe ſi nec Plinium ævi adhucdum Auguſtæi ſeu primi Sæculi Scriptorem immunem quis dixerit, me volente, & calculum addente facit: advertítque, neſcio, quiſnam Vir doctus & ævô noſtrô clarus, Plinium Oeni noſtri nullibi mentionem facere, quod argumento eſſe poteſt, multa quidem de populis Alpinis Illuſtrem hunc & in Geographicis probatiſſimum aliàs Scriptorem protuliſſe, ſed & multa eundem latuiſſe, aut confusè ab aliis hauſta etiam ſubobſcurè transmiſiſſe ad poſteros: ut proin populi ad Brennum meminerit, quin clariorem de eorum urbe principe etymologiam adſtrueret. Et hæc ſententia illis haud dubiè præplacebit, qui incertam adhuc Hetruſci ſeu Rhætici vocabuli in Veldidena originem eſſe contendent, qualem nec mordicus ipſe defendo, & peritioribus hujus idiomatis relinquo; de quo nec Grammatici, nec Vocabularii quidem Scriptores, qui nos poſſent inſtruere, unquam hactenus, quod ſciam, prodiêre in lucem, adeò ut peritiſſimus harum rerum Tſchudius ingenuè faſſus ſit: *Lingua Rhætica apta non eſt, ut in Scripturam redigi poſſet, quippe inſtrumenta omnia Regionis olim Latino, nunc Germanico expediuntur Idiomate.* Nobis Conjecturas indicâſſe ſatìs eſt, revelabit multa ætas poſterior, & tritiorem viam faciet, cujus obſcuriora tantùm veſtigia vel à longè monſtravimus. In his enim Antiquitatum tenebris adhucdum palpantes unica interdum ſcintilla recreat, quæ licèt vel momento cum fulgure perit, accendi tamen ex his igniculis Illuſtriora poterunt ingenia, Patriam noſtram pro dignitate condecoratura. Denique forſan etiam cum Cl. Hanſizio in deſcribendis urbibus non curatum ubivis Plinium, aut cum Marco Hoppero in præfatione editi Strabonis ad Ægydium Tſchudium etiam dicere poſſem, Plinium Alpinas gentes fortè oculatum aliàs teſtem, jejunè admodùm tractâſſe.

De Inalpin. Rhæt. c. 3.

CAPUT

CAPUT XXVI.

Ab Augusto Coloniæ dignitate ornatam fuisse rationibûs firmatur.

FIrmatîs igitur paulatim Rhætorum rebus ad ipsius Veldidenæ firmandas majori paratu nos accingimus, præmittentes illud Propertii:

Hoc, quodcunque vides, Hospes, quàm maxima Roma est
Ante Phrygem Æneam Collis & herba fuit.

Quod invertentes majori jure sic proferimus:

Hoc, quodcunque vides, Hospes, fuit æmula Romæ
Veldidena olim, collis & herba modò est.

Romæ enim æmulas fuisse Colonias novimus ex Gellio: morem Romanorum devictos populos parte agri multare, in noviter, aut saltem priùs condita oppida novos Colonos, præsidia futura provinciarum adscribere ex Appiano: sine his Regionem nullam fuisse ex Seneca & Lipsio; Tales quoque Rhætis nostris, utpote genti bellicosæ, atque jam antea urbibus Castellísque compluribus munitæ, iis verò nunc expugnatis fuisse inductas, & deduci opportuisse, præcipuè ad Brennum montem ob populorum illorum indolem & loci commoditatem Cap. XIX. pluribûs monstravimus. Hoc verò præsenti, ab Augusto deductam, probatum imus. Devictis provinciis Colonias fuisse inductas nos dudum etiam Hyginus docuit, dum scripsit: *finitis ergo ampliorum bellorum operibus, augendæ Reipublicæ causâ Illustres Romanorum Viri urbes constituêrunt, quas aut victoribus populi Romani Civibus, aut emeritis militibus assignavêrunt, & ab agrorum novæ dedicatione culturæ Colonias appellavêrunt:* Imò Augustus in monumento Ancyrano se jactat: *Colonias militum in Italia, aut in provinciis ad memoriam ætatis meæ feci.* Finiit bellum Augustus, Colonias

De limit. constit.

Ap. Fabr. p. 225.

lonias igitur in subacta provincia aut condidit novas, aut in vetera oppida Colonos deduxit novos: quasdam enim urbes ait Velserus, antequàm Coloniæ fierent, diu stetisse exploratum habemus: quemadmodum nobis iterùm Hyginus fidem facit *Divus Augustus - - - suarum Legionum milites Colonos fecit, alios in Italia, alios in provinciis. His quibusdam deletis hostium Civitatibus novas urbes constituit: quosdam veteribus oppidis deduxit & Colonos nominavit.* Cùm igitur in Rhætia hoc bello multas urbes & Castella teste Paterculo expugnârit per suos Augustus illas, quas delevit, aut novas condiderit, necesse est, aut in veteres, suos deduxerit Colonos: Imò (quod nobis cum Goësio placet) etiam populis victis concessum aliquando fuit, ut, si vellent, Coloni adscriberentur, quod ex Livio & Dionysio Halicarnassæo scimus: paucos autem ex nostris adscriptos fuisse, Dio nos suspicari jubet, haud plures nimirum, quàm *qui colendæ Regioni sufficerent, cùm maxima eorum pars & ætate validissima, ne gens populosa bellum retentaret, abducta fuerit, ut ad rebellandum non satìs virium haberent:* Adscriptos tamen aliquos fuisse luculenter ex hoc testimonio patet; Habemus igitur Colonos, & quidem etiam ex devictis Rhætis nostris, habemus (ita Tacitus vocat) *subsidium adversùs Rebelles,* quales ne fiant (potentiores præcipuè populi) cautum sibi his remediis, & in hoc præcipuè, & in aliis bellis voluêre Romani: agnovit hæc dudum apud Cæsarem Critognatus, dum ad obsessos Alesiæ hæc verba fecit: *Romani verò quid petunt aliud, aut quid volunt, nisi invidia adducti, quos fama nobiles, potentésque bellô cognovêrunt, horum in agris Civitatibúsque considere, atque in his æternam injungere servitutem, neque unquam alia conditione bella gessêrunt:* Fuêre enimverò famâ nobiles Rhæti quia Hetrusci, fuêre bellô potentes, quia devota morti pectora, ferrata agmina, diu latéque victrices catervæ, implacidi, veloces, immanes, & plus vice simplici debellandi: Et quamvìs laudis hujus pars quoque magna etiam ad socios belli Vindelicos spectet: majorem tamen hujus partem ex Ode præsertim posteriori ad Rhætos pertinere nemo ibit inficias, qui Horatium aliósque inspexerit. Martiam igitur hanc gentem, ne bellum retentaret, fœno Coloniarum ut feliciùs coërceret, ipse Augustus in Rhætiam se contulit: & quidem, quantùm ex doctissimo Masson colligimus, statim à belli confecti tempore, M. enim Licinio Crasso, & Cn. Cornelio Lentulo Cos. quibus annum U. C. 740. assignat,

Rer. Aug. f. 84.

Antiq. Augrar. p. 8.

L. 54. f. m. 614.

Ann. 12. 32.

Bell. Gall. l. 7. 77. p. m. 274.

Horat. l. 4. Od. 4. & 14.

In vit. Horat. p. 341. signat, mox addit: *Cùm Augustus Româ adhuc abesset hôc annô, quem totum rebus Gallicis, Germanicis, Rhæticisque constituendis, atque plurimis per Galliam ac Hispaniam Coloniis excitandis absumpsit: tum censemus Horatium ad eum libri IV. Oden V. scripsisse, ut quasi totius populi Romani nomine custodem gentis moneret, abesse jam nimiùm diù, atque enixè rogaret, tandem rediret.* Quod ultimùm eo verisimilius & nos censemus, cùm ode præcedente Drusi laudes, & confectum ab eo bellum Rhæticum celebraverit: Inter constituendas autem res Rhæticas præcipuam eidem de Coloniis curam fuisse haud ambigendum censeo. Et quamvis Authores, qui de Coloniis Augusti aliquid edidêre, nullam omnino (nescio à Velsero, aut à quo decepti) in asserendis aliàs vicini Norici ac Vindeliciæ Coloniis etiam pluribus valde liberales fuerint, nihilominus ab hoc Principe, imò neque à Romanis Imperatoribus aliis, conditam in Rhætia ullam signârint; ausim tamen ad exemplum aliorum binas aut tres in Tyroli nostra producere eò majorî fiduciâ, cùm apud Lapidum Collectores passim viderim complures nostrîs primùm temporibûs Colonias detegi, de quibus tamen apud Scriptores veteres nullum occurrit verbulum. Et quamquàm Frontinus multas ab hoc Imperatore deductas peculiari libro, aliquot etiam Suetonius & Plinius sparsim adnotârint: Sigonius tamen, utì & Fabrettus cum Grutero, Sponio, Donio & Cl. Muratorio in Inscriptionibus: Golzius & Mediobarbus etiam in nummis aliquas detexêre: Imò sex omnino Eminentissimus Noris suæ dignitati restituit, quæ omnes Augusto suam debent originem: In Rhætia igitur nostra Coloniam Augusti Tridentum ex Lapide in Palatio Episcopali extra urbem pereleganti, vulgò il palazzo agli Alberi (quem 1. Octobr. 1734. summa cum voluptate perspexi) statuo, ita enim ille:

C. VALERIO. C. F.
PAP. MARIANO.
HONORES. OMNES.
ADEPTO. TRIDENT.
FLAMINI. ROM. ET AVG
PRÆF. QVINQ. AVGVR.
ADLECTO ANNON. LEG. III

ITALIC

ITALIC SODALI SACROR
TVSCVLANOR. IVDICI
SELECTO DECVR. TRID
DECVRIONI BRIXIÆ
CVRATORI REIP. MANT.
EQVO PVBL. PRÆF. FABR.
PATRONO COLON
PVBLICE.

Poſt prælium igitur in Tridentinis Alpibus teſte Dione cum Rhætis à Druſo commiſſum Tridentum, quod dudum antea à Rhætis conditum, contra Juſtinum, Clenomannis adſcribentem, plerique omnes adſtruunt, Coloniam deduxit Auguſtus. Cúmque in ſolo Tridento totius vallis latiſſimè patentis nondum ſatìs res firmæ viderentur, etiam Teriolos (hodie pagus Tyrolenſis ad arcem totius Regionis principem eſt) iterum non improbabiliter Coloniam deduxit: cujus equidem rei aliud teſtimonium non ſuppetit, niſi amnis ille Colonicus horâ circiter à Teriolis diſtans, Ariboni noſtro ac ſequacibus in D. Corbiniani actis, imo hodiedum *Finalis* dictus. Ad agrorum enim inter Colonos diviſorum nomenclaturas & hic pertinet, ita enim Julius Frontinus de Coloniis: *Colonia Junonia - - - - termini ſunt autem non omnibus cenſiti - - ſed numerô pedaturæ ſunt limites conſtituti, in locis quibuſdam, quibuſdam rivi Finales &c. Et Capenus* (ager Colonicus) *ager ejus finitur terminis Tiburtinis, ex alia parte ſiliceis, qui diſtant à ſe pedibus CC. uſque in pedes CCCCL. habet ripas, vias & rivos Finales.* Atque hanc cauſam eſſe reor, quòd in valle Tridentina tot occurrant *ſex Viri Auguſtales* ob gratam nimirum in Auguſtum propter collata in hanc vallem beneficia memoriam; cùm teſte Illuſtriſſimo Maffejo hi à morte Auguſti in ejus honorem inſtituti fuerint: legimus enim *L. AVFILENVM ASCANIVM* in Avio apud Cl. Ricelium & *I. TATIVM. T. L. DOCIMVM.* pariter ibidem ex Cl. Muratorio: utì pariter ex eodem *SEXTVM LÆLIVM PRIMIGENIVM.* in vico Bolognano Illuſtriſſimorum Comitum de Arco: *C. LVCRETIVM C. L. ERASMVM SEXVIRVM AVGVSTALEM BRI-*

Ver. Ill. f. 95. Biblioth. volant. l. 23. c. 76. Inſcr. t. 1. f. 195. f. 200.

f. 432. *XIÆ ET TRIDENTI.* Apud Gruterum. *MARCVM* denique *BETVLIVM M. LIB. FIRMINVM.* in Arce Schwanburgia Illuſtriſſimorum Comitum de Trapp Nalſii, quarto duntaxat lapide à Teriolis diſtante Anno 1734. 13. Octobr. à me exſcriptos, ùt paulo ante memoratum: *C. VALERIVM C. F. PAP. MARIANVM FLAMINEM ROMÆ ET AVGVSTI* ſilentiô præteream. Tertiam denique Coloniam in Veldidenam noſtram deductam fuiſſe tum ex rationibus paulo ante allatis, tum etiam ex monumentis aliis ferè convincor, quæ cùm ad Veldidenam pertinere arbitrer, religioni mihi ducerem, ſi ea obiter duntaxat referrem: præcipuè quia ex eorum genere videntur, quæ magnum rebus noſtris momentum adjicere poſſunt; Interim hoc noto, ſi Tridentum, ſi Teriolis Coloniæ Auguſti fuêre cur urbs longè nobilior, & quæ non unica tantùm vice (quemadmodùm Tridento contigit ab Opitergio) ſed ab urbibus nobiliſſimis, Ponte Oeni, Laureaco & Aquileja, ter nimirum pro termino aſſignata fuit, hac dignitate privetur, cùm tamen harum urbium in Itinerario termini Laureaci nempe Sirmium & Taurunum Aquilejæ, Salonæ, Siſcia, Lauriacum atque iterùm Sirmium omnes Coloniæ fuerint? Nec impedire credo Velſeri rationem ſuperiùs allatam, ob ſterilitatem nimirum Alpium agros pro Colonis negantem; hanc enim, præter jam dicta ſatis etiam, ùt puto, Tridentum & Terioli probatæ evertunt Coloniæ, in quibus tamen ſicutì & Veldidena noſtra utique adhiberi has
p. 24. formulas Colonicas Siculi Flacci opportuit: *Illi & illi tot ſylvas, tot paſcua, jugera tot.*

CAPUT XXVII.

Coloniam Latinam fuiſſe cum titulo Emeritæ ex nummo ſuſpicari licet.

TRidentum Coloniam fuiſſe nobis lapis ibidem, & Teriolis amnis Colonicus *Finalis* fidem fecêre; nunc ſeriò indagandum, num in omni antiquitatis penu nihil de Veldidena nobis

bis ſuppetat. Scriptores equidem tacent univerſi: ad nummos igitur qui tot nobis ſervârunt Colonias, confugiendum eſt: verùm in præcipuo nummiſmatum à Coloniis percuſſorum Collectore Vaillantio iterùm opis nihil, aſſerente inſuper: *plurima Auguſti nummiſmata inter incerta rejicienda, quæ cùm plures chartas ad eorum exſplicationem ſine magna utilitate implerent, prætermiſimus*, nihil in nummophylacio Reginæ Sueciæ Haverkampii, neque in Harduino de nummis populorum & urbium: ſolus Mediobarbus num votis reſpondeat noſtris, eò juſtiùs dubitandum, cùm nullum de Aquileja atque Laureaco, Veldidenæ noſtræ Capitibus recenſeat? quid igitur in arena Conſilii? num ut præeunte Livio: *In rebus tam antiquis, ſi quæ ſimilia veri ſunt, pro veris accipiantur, ſatis habeam?* an in re tam obſcura etiam ego dignus veniâ cenſebor, ſi quod alii tentârunt, tentem & ipſus; & vel ex ſolis Litteris ſingularibus exemplum Harduini & Vaillantii ſecutus Coloniam in nummiſmate erua m? Ergò manum ad tabulam! oſtendit nobis inter incertos Coloniarum Auguſti nummos hunc ſequentem Mediobarbus:

f. 48.

L. V. c. 21. p. m. 464.

PERM. CAES. AVGVSTI f. 49.

Caput Auguſti

C. A. L. V. E. R. Aquila Legionaria inter duo ſigna Cohortium.

M. R. P. Cattanei.

Nummum hunc Colonicum eſſe cum Mediobarbo nemo dubitat: Legionem aliquam *permiſſu Cæſaris Auguſti* in Coloniam deductam Aquila Legionaria inter duo ſigna Cohortium certîs teſtimoniis nos edocent; morem hunc præter ſimiles complures ita inſcriptos ac ſignatos nummos Tacitus confirmat: *univerſæ Legiones deducebantur cum Tribunis & Centurionibus & ſuis cujuſque ordinis militibus, ut conſenſu & charitate Rempublicam efficerent.* Videamus igitur, quid in ſe pro Veldidena noſtra recondere hic nummus poſſit, adaptemus ſingulis Litteris verba ſingula; cùm in Republica Litteraria liberum cuique ſit, præſertim nondum occupatâ ab aliquo provincia, ſuo ſenſu abundare, ita tamen, ut quis formulas, morem, & ritus antiquos temerè non excedat: quæ tamen omnia ſervaturos nos confidimus, ſi ita hunc nummum explicemus:

COLONIA AVGVSTA LATINA VELDIDENA EMERITA RHÆTORVM.

Nunc de singulis rationem dabimus: Et de nomine *Augustæ* quidem dubitare nos anterior nummi facies non sinit, cùm hujus Principis permissu deducta fuerit, receptíque moris apud omnes jam sit, nomen exin Coloniæ ab illo Imperatore adsciscì, quo permittente ea condita fuerit: Imò vel ex solis Coloniarum titulis Conditoris nomen eruere solent Eruditi: *Latinam* dici potuisse ex discrimine Coloniarum patet, quæ triplicis erant generis, ùt illas breviter & elegantiùs more suo Vir insignis Everardus Otto complexus est, dum ait: *antiquitùs duum generum erant, aliæ Latinæ, quæ quidem eorum, quæ propria Civium Romanorum participes non erant; in cæteris autem, ùt in Censu & Tributis, pœnè ad Civium jura accedant, jus etiam Commercii habebant cum Romanis, & suis Legibus utebantur: aliæ Civium Romanorum, quæ libertatis, connubiorum, testamentorum, dominii, tutelarum, & similia Civitatis jura usurpabant, publicis verò Quiritium, suffragii & Magistratuum Romæ petendorum erant destituti. His postea accessérunt Italicæ, quæ privilegiis quibusdam in traditionibus nexi, in usucapionibus, itémque in jure capiendi munitæ plenariam quoque immunitatem à tributis soli, Capitis, atque publicorum munerum habebant.* Haud diversa ab his Illustris Spanhemius in illo orbe suo Romano passim, sed fusiùs tradit: per honores insuper in Patria gestos aditum ad Civitatem Romanam patuisse, in bello cum Legionibus Romanis militare, ibíque honoribus fungi licuisse. Hanc plenam verò à tributis immunitatem singularis beneficii locô nonnullis duntaxat extra Italiam oppidis aut Coloniis concessam fuisse Cl. Caryophilus docet, ut adeò hac prærogativâ multis aliis illustrior longè Veldidena Colonia fuerit, primi verò ordinis non fuisse mirum nulli videbitur, qui Aquilejam Coloniam haudquaquam nobiliorem percepe-rit, teste enim Livio: *Illud agitabant* (Patres) *utì Colonia Aquileja deduceretur, nec satìs constabat, utrum Latinam, an Civium Romanorum deduci placeret, postremò Latinam potiùs Coloniam deducendam Patres censuérunt.*

De Ædil. Col. p. 7.

De therm. Herc. p. 29.

L. 39. 55. p. m. 633.

Post Augustum Augustæ Coloniæ nomen etiam *Veldidenæ* antiquum nomen à Tuscis, ùt credimus, reliquum comparet; unde autem nomen hoc suum derivârit Veldidena, non facilè dixerim, nisi

niſi ab Oeno forte, cui adjacet fluvio, partem nominis hauſerit; ſæpiùs enim urbibus à fluviis ſua indita fuiſſe nomina compluribus exemplis idem, quem primùm laudavimus, Caryophilus oſtendit; p. 26. nec obeſt huic derivationi, quod Oenum plures cum diphtongo ſcribant; cùm incertum ſit, utrum non meliùs cum Vocali ſcribatur ſimplici, quali illum Arrianus in Indicis & Tabula Theodoſiana, Edit. & dein etiam Aribo Friſingenſis, Eginhardus, Continuator Regino- Gronov. nis, Heppidanus, Metellus Tegerenſis, & alii exarârunt: quin apud f. 317. antiquiſſimos noſtros (qui exteris Romanis, Græcíſque omnibus præferendi) *Enum* ſcriptum eſſe argumento mihi eſt, quòd mediô ævô plerumque hæc Vocalis *E* in *I* tranſierit, ſicut in quibuſdam Pauli Diaconi exemplaribus, utùt corruptis videre eſt, in quibus Enus noſter *Ine* & *Interim* fluvius &c. audit: Adſunt vel hodie quædam hujus rei monumenta, qui enim ante illud ævum Vennones & Breones populi, Terioli & Endidejum, ſeu Ennia, Brenta, & Celer fluvii, poſtea Vinnones, Briones, Tirolis, Innia (etiam Geographo Ravennati) Brinta & Ciler audiêrunt: Verùm unde unde demum fluxerit hoc nomen *Veldidenæ*, id tamen ex aliis Coloniarum nummis ac lapidibus certò deprehendi poſſe confido; hæc urbium captarum nomina à Romanis haud deleta, ſed potiùs alia adhuc à Coloniarum Conditoribus adjecta fuiſſe: imo etiam à Veteranis uni alteríve ſuperadditum titulum mox commonſtrabo. Præmittendum igitur nobis eſt, quinam Veterani dicti, & cujus conditionis milites fuerint: Rem ſcitè ex Polybio, & LL. Rom. Illuſtriſſimus Baro Inſcr. t. 1. Bimardus apud Cl. Muratorium hîs expreſſit: *Legitima militum ſti-* f. 99. *pendia viginti & quinque annis abſolvebantur - - - ejuſmodi annorum tempore elapſo Veterani dici incipiebant, & immunitatibus, privilegiiſque muniebantur milites &c.* diverſi iterum & hi, teſte Reineſio, ge- Inſcr. f. neris aliqui: *Veteranus aliquando*, inquit, *pro vetere, militiæ bellis armato, ſueto & durato dicitur*, quod dum variis authoritatibus fulciiſſet, mox iterum pergit: *qui legitimîs ſtipendiîs confectîs proximo ad capeſſendos militares Magiſtratus gradu conſiſtit, vel emeritûm capiens præmia exauthoratur, vel in provincias, Coloniáſque agros accepturus dimittitur:* De diverſo nonnihil ab his Emeritorum genere Hyginus verba facere videtur, dum ait: *finitis ergo ampliorum bellorum operi-* p. m. 59. *bus augendæ Reipublicæ cauſâ Illuſtres Romanorum Viri urbes conſtituêrunt, quas aut Victoribus populi Romani Civibus, aut emeritis militibus aſſigna-*

assignavêrunt, & ab agrorum nova dedicatione culturæ Colonias appellavêrunt, Victoribus autem assignatæ Coloniæ his, qui temporis causâ arma acceperant; hunc enim fructum militum incremento Respublica populi Romani habuit: Erat tunc præmium terra & pro Emerito habebatur. Multis Legionibus contigit bellum feliciter transigere, & ad laboriosam agriculturæ requiem primo tyrocinii gradu pervenire, nam cum signis, & Aquila & primis ordinibus ac Tribunis deducebantur. Quod etiam ad Veldidenam factum Aquila Legionaria inter duo signa Cohortium in nummo testatur. De his, quibuscunque demum Emeritis exemplum nobis, & quidem sub Augusto Dio Cassius reliquit testatus:

L. 54. p. m. 589. *Finitô hoc bellô Augustus emeritos milites exautoravit, urbémque eos in Lusitania Emeritam nomine condere jussit.* Coloniæ hujus *Emeritæ* nomen etiam Nummi & Lapides servârunt: Nec sola Lusitania, verùm etiam Helvetia ejusdem nominis Coloniam jactat in Lapide apud

f. CC-XXVII. n. 12. Gruterum Cajo Lælio Impp. Nervæ & Trajani Legato posito, ubi Aventicum hîs titulîs gloriatur:

COLONIA PIA FLAVIA CONSTANS EMERITA AVENTICVM HELVETIORVM FOEDERATA.

T. 2. f. MCCII. n. 6. Utì & in alia rursum apud Cl. Muratorium Inscriptione Julii Camilli:

COLONIA PIA FLAVIA CONSTANS EMERITA HELVETIOR.

Rer. Helv. l. 1. p. 77. Colonos igitur Veteranos, milites Emeritos huc pariter deductos fuisse Guillimanno adstipulor, indéque Coloniæ huic Emeritæ titulum accrevisse haud ambigo. Ex adductis igitur rationibus & exemplis abundè constat, Coloniis Emeritæ titulum ob deductos in illas emeritos milites adhæsisse, quæ omnia Veldidenæ etiam contigisse tacentibus licèt Scriptoribus universis nummus nobis testis esse locuples potest, sicutì Aventico Lapides; cùm altùm aliàs de hac Colonia Helvetiorum sub titulo *Emeritæ* Romani omnes Græcè & Latinè loquentes fileant: Adeò nempe verum est, quod loci cujusdam

Inscript. c. 5. f. 400. dudum destructi exemplo docet Fabrettus, Lapides ad Historiam illustrandam mirum in modum conferre. In ultimo demum nummismatis nostri vocabulo *Rhætorum* nempe, ne tyrones in re antiquaria

quaria habeant, ubi hæſitent, ſciendum eſt, quòd, etſi illud de Rhætis noſtris, tanquam de novis Colonis aliqui intelligere ex illo Taciti poſſint: *Conditor noſter Romulus tantùm ſapientiâ valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, dein Cives habuerit:* apud nos tamen, cùm maxima pars populoſæ hujus, & bellum retentaturæ gentis abducta fuerit, id non teneat, quin neque apud alias, etiam interdum penitus exciſas, gentes: alia igitur ſubſit cauſa neceſſe eſt, quæ devictorum, & quandoque deletorum etiam populorum nomina in eorundem Coloniis reſuſcitavit, quam tamen ignorare nos ultrò fatemur, niſi dicere forſitan conveniat, id à Romanis evitandæ Confuſionis Geographicæ gratiâ factitatum, cùm ſi antiquis locis aut expugnatis, aut deletis, aut recenter conditis nova impoſuiſſent nomina, ea, ubi ſita fuerint, intelligi non potuiſſet, niſi unà mentio antiquorum fuiſſet addita, antiquas igitur retinere placuit nuncupationes tam in urbibus, quàm populis, ùt ex Strabone diſcimus, qui de more quidem hoc ſatis perſpicuè, nihil verò de ratione ejuſdem nobis tradidit: *Romani rerum potiti cùm Colonias in varia loca emitterent, nomina tamen eorum, qui priùs ibi habitârunt, conſervârunt.* Occurrunt hujus Inſtituti apud Authores iterata teſtimonia, qualia ſunt apud Plinium: *Auguſta Salaſſorum* ab Octaviano teſte trophæo domitorum, licèt hi in Coloniam deducti non fuerint, *nam agri eorum pars optima Cohortibus Prætorianis data, Urbem Auguſtam Prætoriam tenet, Auguſtam Rauracorum.* In quos iterùm Coloniam vi Lapidis apud Gruterum L. Munatius Plancus ſub hoc Principe deduxit, utì nobis Ptolomæus, Tabula, Itinerarium fidem facit: *Auguſtam Taurinorum* verò communi rurſum conſenſu ab Auguſto devictorum, Plinius affert: Auguſtam denique *Tricaſtinorum* ex Tabula quidem & Notitia primùm novimus; hujus tamen populi jam Livius in itinere Hannibalis meminit. Infinitus jam forem, ſi urbium populorúmque in Lapidibus Coloniàs recenſere Auguſtas mihi incumberet; ſuperſunt enim apud Gruterum præter jam dictos Aventici titulos Auguſta Helvetiorum CXII. 3. & CLI. 11. Faliſcorum CCLXXXVIII. 1. Lingonum DCXVI. 1. Morinorum LXXX. 6. & Treverorum CXI. 9. & CCXXV. 4. Quapropter ulterioribus, ùt in re clara, abſtineo, contentus aliqua de hoc nummo cum ratione & authoritate dixiſſe: Neque invitus aliorum Conjecturas, ſi fortiores ſint, excipiam; cùm probè gnarus ſim, in antiquis iſtis

Dio l. 53.

439. n. 5.

l. 3. c. 17.

l. 21. c. 31.

meliora in dies in lucem publicam emergere: Propterea etiam
f. 70. nummum aliquem in Colonicis Mediobarbi Tiberio C. A. R. inscriptum, templúmque referentem *Colòniam Augustam Rhætorum* interpretari nolui, eo quòd etiam illam *Rauracorum* exhibere possit; Etsi
Suet. probè sciam, Juliam Conjugem Aquilejæ Tiberio filium peperisse, qui nuntius per compendium ab Aquileja Veldidenam delatus, non novô adulationis exemplô, Imperatori forte ex Bellis Germanicis brevì Veldidenam venturo, & æternitati Augusti templum quatuor Columnarum excitare potuit, nummúsque percuti, qui memoriam adulationis servaret.

****

CAPUT XXVIII.

Sub aliis insuper Imperatoribus Coloniam & Municipium fuisse ex Inscriptione quadam colligi posse videtur.

VEldidenam nostram Coloniam fuisse & quidem ab Augusto deductam cum titulo proin Augustæ atque Emeritæ nummus primùm explicatus affirmare videtur, nunc Coloniam & Municipium Lapis posteriorum Principum ætate erectus, & à
Antiq. explic. suppl. T. f. 67. Boissardo nobis servatus dabit, quem ex hujus MSto nobis V. Cl. Bernardus Montefalconius his consignat:

M. IVLIO PVDENTI
FLAMINI DIALI
AVG. RHAET. MVN. PAT.
ET L. CINCIO. M. F. SOSIBIO
QVAEST. AVXIL.
FLAVIA. L.
PAVLA MODESTINA
CONIVX CONIVGI

B. M. P.

B. M. P.
ET IVLIO MODESTINO M. F.
ET LIVILLAE BALBAE VERNAE
F.

Refert hoc Marmor præter modò descriptum tenorem etiam in fronte Protomes binas, Flaminis nempe, & hujus quidem barbati, unáque Conjugis suæ : Barbata igitur hæc facies sicuti ætatem virilem hujus Municipii Patroni, ita simul ætatem, saltem aliquam Lapidis positi indicat, si enim Xiphilino fides, Romanis ante Hadrianum mos non fuit barbam tondendi : *hæc vetus consuetudo* (radendi mentum) inquit, *Civium Romanorum ac Principum fuit, Adrianus enim primò barbam nutrivit.* Flaminis porro nostri cognomen quô Pudens audit, aliqua certè ab aliis ejusdem familiæ desumpta suppeditat, cùm nobilissimos ejusdem Viros ab anno nati Domini 161. usque ad annum 218. in Fastis Consularibus ac marmoribus deprehenderim ; Occurrit enim apud Relandum ad annum Christi 161. N. VALERIVS PVDENS II. VIR CVRAT. Inter Consules verò ad annum 165. L. ARRIVS PVDENS. Et iterùm anno proximè sequenti SERVILIVS PVDENS COS. cum L. Fusidio Pollione apud Gruterum circa eundem annum sub Severo & Bassiano : VALERIVS PVDENS. LEG. AVG. PR. PR. in Batavia repertus, item Neapoli optimus Vir CN. GAIVS PVDENS. Sub Severo ad annum Domini 218. pro salute M. Aur. Antonini, Eliogabali nempe, & Juliæ Augustæ aram cum basi Romæ posuit : IVLIVS PVDENS SEVERIANVS : ut L. APPEVM PVDENTEM FLAMINEM FLAVIALEM PATRONVM SASS. taceam, sub quo ultimo verbo nobile municipium Sarsinam Cellarius intelligit, cujus in Lapidibus apud Gruterum, Cluverium, Reinesium & Cl. Muratorium, mentio : cujúsque L. Appejus Pudens hic instar nostri M. Julii Pudentis Patronum egit, eadem, aut certè non multùm antecedenti tempestate ; cùm post Vespasianum, aut etiam filios multo adhuc tempore Flaviales eorundem honori invigilaverint:

In vita Traj. p. m. 344.

Fast. Cons. p. 32.

f. 454.

f. 7.

f. 359.

p. 594.

Post allatam non improbabiliter Lapidis positi ætatem, etiam officium, quod Pudens Veldidenæ gessit, considerandum nobis est,

& primò quidem Flamen Dialis dicitur seu Jovis, cujus nominis
p. 123. 149. 313. originem Sextus Pompejus Festus non uno in loco explicat, offi-
l. 10. c. 15. cium verò saltem Romæ, Gellius describit, quò Lectorem remitti-
p. 337. 162. mus, cùm in his moras trahere nobis non liceat, neque huc res ista pertineat, nisi quòd ad exemplum urbis Dominæ ac Matris suæ Romæ Coloniæ omnes tanquam simulacra urbis parva sese componere allaborârint, atque ita suos quoque Flamines Diales habuerint, ut-
f. 198. pote qui adstipulante quoque Reinesio Coloniarum Politias constituebant: Supereſt hujus rei duplex apud Gruterum testimonium, dum M. LICINIVS COR. II. VIR COLONIÆ DAC SARMIZ. ET FLAMEN DIALIS. ac: M. MVNATIVS M. F. FLAMEN DIALIS MVNIC. COLONIÆ APVLI exhibetur. Concessit nimirum & istam, quæ Romæ inter Principes fuit, dignitatem prudens Patrum Consilium magnæ Matris filiabus, Co-
ad Colon. p. 30. loniis suis: *optimè enim intelligebant Romani rerum Domini* (verba sunt Cl. V. Ev. Ottonis) *ea, quæ sibi similia sunt, facilè simul coire, ac juris morúmque convenientiam maximum devictæ gentis vinculum esse: quare in ambitione Colonorum non solùm connivebant, sed ritus etiam, Linguam, Cæremonias, leges, & integram fere Metropolis suæ formam jugiter eos referre jubebant, quo hæc Majestatis particula velut in speculo ostensa provinciis longè à se dissitis reverentia incuteretur.* Et sanè, si Veldidenam Coloniam Romanorum non sciviſſe antea, ex hoc lapide scirem, cùm Coloniis duntaxat hos Flamines Diales Principes Romæ ante Martialem & Quirinalem etiam, Sacerdotes concedere potuerit, utì tum ratione tum exemplo ostensum est. Neque etiam vox in Lapide MVNICIP. nos impedit, quò minùs Coloniam tum ex nummo apud Mediobarbum adstruamus, qualis MV-
l. 3. c. 3. f. CCCC-LXXXIV 3. NICIP. CALAGVRIS IVLIA. Hæc enim teste Plinio etiam Colonia fuit: Neque Lapides refragantur, nam Lipsius teste Grutero, extra Romam hunc vidit

T. VENNONIO
T. F. STELL.
ABVTIANO PATRONO. ET
MVNICIPI COL. AVG. LAVR.

Et

Et Flaminem Dialem MVNICIP. COLONIÆ APVLI primùm ex Reinesio dedimus. Splendidissima Tacito Augusta Vindelicorum Colonia est, & tamen iterùm ibidem in Lapide legimus: In Monum. Aug. n. X.

MVNICIPI. AEL. AVG.

Nam quamvis diversum omnino fuerit, esse Municipium & Coloniam, ac in Lapidibus, quos modo adduximus, aliisque non rarò conjunctum utrumque sit, id tamen uno eodémque tempore, minimè in sensu proprio, aut stricto ùt loquimur, sed generali potiùs accipiendum esse cautè monuit Illustrissimus Maffejus; præclarisque exemplis tot hactenus Authorum lapsus emendavit, cujus etiam verba perlubenter transcripsissem, si breviter id fieri, aut singulare quid pro Veldidena erui potuisset; Cæterùm cùm Cl. Muratorius dubius hæreat, quænam Colonia in nostra hac Inscriptione designetur, hinc Eruditis disputandum relinquit, addens, esse *qui Augustam Vindelicorum eo nomine donatam putent.* Et fuêre enim verò, qui cum Hoffmanno disertîs vêrbîs scripsêre *Augusta Rhætorum vel Vindelicorum.* Hos tamen omnes, & quotquot eorum mentis esse possunt, capite superiùs 19. compluribûs edocuimus, Lapidem omnino nullum in toto agro Augustano, imo tota, ùt credo, Vindelicia adesse, qui *Coloniæ* vel *Augustæ Rhætorum* ostentaret vocabula, & quemadmodùm nec unicum Lapidem, ita nec Auctorem unum ostendi posse scimus, qui *Rhætorum Coloniam* vel *Augustam* compellaret, cùm semper *Vindelicorum* audierit; apud Ptolomæum nempe & Sextum Ruffum in Tabula Peutingeriana, & utriusque Imperii Notitia, ac demum sexies in solo Antonini Itinerario. Quòd Tacitus splendidissimam Rhætiæ provinciæ Coloniam dixerit, háncque cum Velsero & aliis Cluverius *unam* solùm *Coloniam* ideò crediderit, eò quòd nomen ejus nullum proprium indicârit: Falluntur planè omnes, cùm Coloniam Rhætiæ nostræ non obscurè unam alterámve saltem vindicaverimus: Cellarius quidem Vindeliciam singularem non fuisse Provinciam, sed cum Rhætia semper conjunctam, aut provinciam ex Rhætia propria & Vindelicia constitutam, atque ita Tacitum locutum autumavit, id tamen singulari capite infirmare studuimus, num rite judicent Eruditi: quamvis etiam ipse innuere videatur Cellarius, verba Taciti ad omnem Geographiæ rigorem

Ver. Ill. p. 85.

p. 412. & 422.

exacta non esse, quod idem & nos alibi jam, allata etiam ratione, cur hæreamus, attigimus; quapropter securior videtur illa, quam in explicandis hisce authoris verbis interpretationem Abbas Pichonius attulit: *putatur esse Augusta*, inquit, *quam vulgò Vindelicorum appellant:* & rursus: *vocat splendidissimam Coloniam, quia & aliæ in Rhætia Coloniæ Romanorum:* licèt nondum docuerit Vir hic doctus, quomodò *Augusta Vindelicorum, Rhætiæ Colonia* dici possit; Sed demus hanc Tacito & Vindelicis Coloniam, ut nostram Rhætis obtineamus; Ipsus enim cum Velsero sentio, si de Colonia sermo sit, id de Augusta & Principe illius nimirum Populi intelligendum. Atque hinc etsi nomen Veldidenæ in nostra expressum non sit, Lapidem tamen aliam non loqui, iisdem cum Velsero rationibus persuadeor, nomen enim & proprium urbis, & primum nunc usurpâsse, nunc dimisisse assumpto Coloniæ & gentis elogio, atque hôc ipso demum antiquato iterùm primum resumpsisse clarissimo de Climberro Auscionum exemplo monstrabo.

In Tac. de Germ. ad usum Delph. T. 4. p. 137.

Et de primo quidem ac proprio hujus nomine ita nos Mela instruit: *Aquitanorum clarissimi sunt Ausci, Celtarum Ædui, Belgarum Treviri: urbesque opulentissimæ in Treviris Augusta, in Æduis Augustodunum, in Auscis Climberrum.* Ptolomæus autem non jam proprium hoc nomen *Climberrum*, sed *Augustam Auscionum* posuit, ita enim in Celto-Galatiæ situ habet: *sub iis* (stabulis) *Auscii* (populi) *& Civitas Augusta.* Itinerarium verò Antonini antiquato *Augustæ* nomine primum iterum, nempe *Climberrum* resumpsit:

l. 3. c. 2.

l. 2. c. 7.

ITER AB AGINNO LVGD.

LACTVRA	M. P. XV.
CLIMBERRVM	M. P. XV.
BELSINO	M. P. XV.
LVGDVNVM	M. P. XIII.

Addunt ad hunc Antonini locum Vallesius in Notitia Galliæ, Cellarius in Orbe Antiquo & Wesselingius ad Itinerarium: *eadem est atque Augusta Auscionum Ptolomæi.* Duplex igitur nomen hæc urbs habuit, *Climberrum* nempe apud Melam, *Augusta Auscionum* apud Ptolomæum, & apud Antoninum (qui omnium consensu posterior est) demum iterum *Climberrum:* Rationem hujus mutationis tam

L. 2. c. 2. p. 146. p. 462.

tam ex Cellario, quàm Fabretto intelligere possumus, dignis sanè, qui audiantur: Cellarius primum nomen in *Augustam* mutatum, ùt l. c. in pluribus aliis, Augusti Cæsaris benignitate *pro quo tandem, ùt in Itinerario est, exoleta beneficiorum memoria priscum nomen resumptum* esse, credit: Alter temporariæ adulationis hunc morem fuisse dixit, Inscr. f. addens - - *Idque in nummis, præsertim Coloniarum fit palam, in quibus* 106. *assumptam, ut tempori servirent, denominationem brevì dimissam atque evanidam animadvertimus in Neroniana Patrensi, Flavia Corintho, Septimiis Laodicea, Nesibi, & Tyro, Aurelia Antoniniana Alexandrina aliisque.*

CAPUT XXIX.

Theodosii adhuc tempore Veldidenam Urbem Rhætiæ principem fuisse conjecturîs non omnino spernendis probatur.

NIsi Consensu Scriptorum omnis exempta nobis dubitatio foret, Hetruscos duce Rhæto in Alpes nostras immigrasse, dubitare meritò quis posset, num res ita se habeant, cùm vix ullæ gentis tam Illustris reliquiæ (alibi nunc tam largo proventu in apricum bonâ prorsus fortunâ protractæ) apud nos aut è terra eruantur hodie, aut erutæ supersint, vel superfuisse unquam legitimîs testimoniîs constet: Laborat planè per sexcentos omnino annos Annalium fides, cùm nemo, quis genti præfuerit, aut urbes more & ritu Hetruscorum condiderit, in tabulas retulerit; quem tamen ritum Hetruscum præter alios à Romanis dein solerter custoditum fuisse, communi consensu traditum est. Quis igitur in tam obfirmato omnium silentio majora urbis Principis documenta requiret? tam obstinatum quoque rerum Hetruscarum in Rhætia gestarum apud Romanos omnes silentium est, ut neque bellum quidem à Druso Tiberióque in Rhætia gestum in uberrimo Historiæ Romanæ parente Livio, imò (quod Viri docti adnotârunt) neque in MStis Codi-

Codicibus, nisi nuda de his Epitomatoris seu veriùs corrupta & hoc à librario mentio, sit reliqua: perière Plinii viginti illa bellorum Germaniæ volumina, omnésque, quæ in Sanctuario Cæsaris respici sunt solitæ, teste Siculo Flacco agrorum divisorum & assignatorum formæ, quarum divisionum (utique etiam Veldidenæ factarum) commentarios Princeps in Sanctuario habuit, perière. Atque cum his totum Augustum Rationarium. Nemo Itinera Hadriani per Rhætiam perscripsit, & ubi longiores moras traxerit, & unà ubinam maxima Exercitûs illius Rhætici (quem nobis bina primæ magnitudinis & rariora servârunt nummismata, in quibus Imperator Eques, in aliis stans pedes in suggestu Cohortes alloquitur) pars sedem sibi legerit, ut quemnam locum principem præsidiô ampliorî munierit, resciri posset, atque utinam saltem in extructa ab hoc Principe, Hadriano nimirum, Tiburtina Villa aliquis inscripta ibi & Provinciarum & locorum celeberrima nomina nobis descripta servâsset, certè inter ea & Rhætiam à Vindelicia distinctam & Veldidenam Rhætiæ principem legeremus. Malè habita quoque sunt multa in Codice Theodosiano Loca Geographica, & depravata admodùm Librariorum culpâ: quod nisi esset, vix dubitarem, Veldidenæ mentionem ibi quoque reperiendam fore; si enim Leges in omni vicinia Patavii, Vincentiæ, Veronæ, Brixiæque latæ spectantur, síque magnum eorum numerum Aquilejæ publicatum intelligimus, unde tam facilis per compendium in Itinerario via Veldidenam fuit: imò si omnino Tridenti aut Bauzani, ex emendata hujus Codicis Geographia, latæ fuisse perhibentur *Lex* 1. *nempe de principio agent in rebus I. L.* 9. *de privil. eorum, quæ in Sacro Palat.* utì & *L.* 11. *de erog. milit. an.* ubi malè *Triverini*, locô *Tridenti* & L. 3. de Palatinis Sacr. largit. ubi iterùm malè pro *Bauzani Bauxare* descriptum fuit, licèt hæc ipsa vox Bauzanum primùm Sæculo octavo in Paulo Diacono occurrat, atque adeò & hoc ipsum corruptum appareat, Codicis autem ævo sub legitimo *Pontis Drusi* nomine in illa Peutingeriana Tabula adhuc spectetur; Quis prudenter suspicari non possit, an non fortassis, cùm Veldidena mediô ævô non extiterit ampliùs, imò jam etiam tum nomen in præfata Tabula mutârit, dum in hac *Vetonina* audit, sícque à Librariis aut non inventum ampliùs (quod & mihi in Anonymo Ravennate contigit) aut non intellectum, hæc ipsa, *Veldidena* nostra in una alteráve vice in *Veronæ* nomen migrârit; cùm

De Concit. agr. p. 6.

Spart. p. 31.

cùm ex eodem ipſo Codice conſtet, hoc *Veronæ* nomen non ſemper *Veronam* loqui, ſed pariter corruptum pro alia urbe poſitum fuiſſe: Gratianus certè aliam, quàm per Veldidenam viam in Tabula & Itinerario ſignatam, tenere non potuit, dum latis, quas diximus, Tridenti & Bauzani Legibus, Rheni accolas pertranſiens, Suevos teſte Auſonio, & Alemannos compeſcuit; verùm & Valentinianus Junior Mediolanô Aquilejam profectus, ibique ad anni finem ſubſtitiſſe memoratur, licèt ſimul etiam hoc tempore Veronæ fuiſſe ob imputatam huic loco *L.* 14. *de luſtrat. Conlat.* videri poſſit: mihi tamen potiùs *Veldidenæ* hanc latam fuiſſe ex eo probabile fit, quòd non aliam ob rationem Aquilejæ ſubſtiterit, quàm quòd Juthungi hoc tempore Rhætias fuerint populati, contra quos teſte S. Ambroſio Hunnus adſcitus fuit, in hanc igitur & Veldidenam ab Aquileja excurriſſe hac occaſione Valentinianum, an omnino inanis conjectura eſt? quâ Veldidenam adhuc ſuperſtitem arguamus. Verùm incerta & hæc documenta ſunt, certioribus omnibus velutì fatali quadam rerum humanarum Lege ſublatis. Ad alia igitur confugiendum nobis erat adminicula: Et ſanè, niſi Itinerarium illud Antonini fuiſſet, etiam nomen cum dignitatis ſuæ, termini nempe ab urbibus clariſſimis, prærogativa periiſſet: Non enim (ſicutì reliqua duo Rhætorum oppida Plinii Feltria & Tridentum communia cum ſuis Populis Feltrinis & Tridentinis nomina habuerunt) Veldidena nomen ſuum à Populis ſuis Breunenſibus ſive Brennenſibus derivavit, ſed veroſimiliùs inſtar multarum aliarum à flumine proximo Oeno illud accepiſſe credi poteſt, quem antiquitùs etiam *Enum* audiiſſe diximus. Hinc quia ſolos nominavit populos Plinius, Veldidenam nominare potuit, niſi citra temeritatem fortaſſis dicere malimus, Plinium in Autographo ſuo, cuivis horum trium populorum urbem Principem adſcripſiſſe, quam Librarii deinde ineptiſſimè hunc Authorem detruncantes omiſerunt. Quòd autem Strabo & Tacitus altùm de Veldidena ſileant, haud miror; quippe jam dudum ante nos Vir doctus M. Hopperus in præfatione ad Strabonem obſervavit, Plinium ac Tacitum de Rhæticis rebus jejunè omnia tractâſſe, Strabonem verò Alpinas gentes haud vidiſſe: Minus ergò inſolitum cuique videbitur quòd de Veldidena ſiluerit. Verùm de hac & cæteri ſilent Geographi, Mela, Solinus, aliique: Ptolomæus etſi fortè non nobis, quibuſdam tamen certè dubius videbitur; qui

Chronol. Cod. Theod. f. CV. ad a. 379.

Ep. 27.

p. m. 6.

planè si non corruptus, saltem admodùm obscurus est: periculosæ igitur plenum opus aleæ tractandum suscepimus, cùm opis omnino nihil à præcipuis sperare potuerimus.

Aliunde proin accersenda nobis erant subsidia, atque inprimis quidem ex Itinerario docuimus, mentionem Veldidenæ ter cum dignitatis non exiguæ nota, nempe ùt termino trium Itinerum à nobilissimis urbibus occurrere, quod nonnisi locis præcipuis commune; tum in Tabula eandem exhibuimus, addita ratione, cur Characteres nobilitatis translati videantur. Ex Notitia Imperii illam ipsam Augustæ, splendidissimæ Vindelicorum Coloniæ parem, non rejiciendis omnino fundamentis superstruximus Coloniam: Talem in quacunque provincia ac Regione fuisse, & præcipuè in hac necessariam diximus, & ab Augusti jam tempore, variis rationibus firmavimus. His prærogativis usque ad Theodosii tempora, imò ultrà, gavisam dubitabunt aliqui, si ex Ammiano Marcellino ad annum Domini 356. intelligent; Imperatorem Constantium, cùm Suevi Rhætias incursarent, ab Urbe profectum, per Tridentum iter in Illyricum festinâsse, indéque à Suevis Veldidenam jam tum fuisse tentatam aut deletam suspicabuntur. Verùm Alpestrem nostram Rhætiam non incursâsse Suevos, ex vicinia arguimus, non malè forsan sub Suevis Alemannos intelligentes, cùm idem Marcellinus Rauracos montes, in quibus Alemanni, confines Limitibus Rhæticis dicat, atque hinc neque tum eorundem furori cessisse autumamus, dum *Juthungi, Alemannorum pars Italicis conterminans tractibus, Rhætias turbulentè vastabant, adeò, ut etiam oppidorum tentarent obsidia præter solitum.* Nam & secunda Rhætia illô adhuc ævô Italiæ adnumerata est, ùt ex Libello provinciarum constat, Galliæque aliàs, & tum etiam viciniores Alemannos novimus, ut adeò ex illa parte infestos fuisse credibilius sit, quà nimirùm vicini fuêre; cùm his debellatis Constantius aditus Rhæticos communierit, qui ad nos non pertinent, neque tum: *ubi Alemannos dispersos per Rhætias Theodosius ea tempestate Magister Equitum aggressus, pluribus cæsis, quoscunque cepit, ad Italiam jussu Principis misit.* Nam si Velsero teste Clades haud dubiè ad Nicrum illata est, nulli Alemannorum in nostra dispersi vagabantur vicinia, sed Rhætia illa secunda, quam Vindelicam dicimus. His igitur dubitationibus longè remotis illud asserere non dubitamus, nobis non videri locum aliquem regionis principem

L. 16. ed. Lindenbr. p. 78.

L. 22.

Ao. 370. l. 28.

cipem ab hostibus eversum credi posse, si viæ illius Regionis adhuc cultæ appareant, hásque ab Imperatoribus tritas constet; ubi enim commorari, & ad repellendum collimitia tum jam vehementer incursantium hostium vim parare necessaria hi Principes potuissent, si nobiliora, & majorî præsidiô firmata loca jam fuissent diruta: Vias autem sub Juliano adhuc cultas fuisse bini Lapides milliares in Archiducali Ambracensi area adhuc superstites dicunt: Gratianum huc iter fecisse, Chronologia & Interpretes Codicis Theodosiani affirmant, déque ipso Theodosio & Valentiniano Juniore ratio & rerum gestarum ordo suadere videntur. Lapides quidem milliares de hoc nullos habemus, sed cùm de Juliano adsint, qui anno Salutis 363. periit, non credimus Theodosio paulò pòst in Imperio succedente aut refectas fuisse, aut modicô hoc temporis intervallô adeò labefactatas, ut restaurari necessariò debuissent: Neque si periisset Veldidena, hujus in Tabula, Itinerario aut Notitia mentio exstaret: Nam hujus ætatis Tabulam esse Peutingerianam nemo ignorat, qui ideò etiam Theodosianam communiter appellari noverit: Quòd verò hæc alio nomine indigitet Veldidenam, (si forsan plura non gessit nomina) potiùs insciti Librarii culpa est, utpote qui medium ævum suum plurimis corruptis nominibus detegit, quô jam periisse Veldidenam mox docebimus. Notitia, non alterius pariter, consensu omnium, ætatis, alio quoque nomine Veldidenam referre nobis visa est: nisi enim hoc admittamus, neque Limitaneæ Principi, Augustæ Vindelicorum nempe, alibi præsidium aliquod, quàm in *Castris Augustanis* his ipsis, assignare possumus; quæ ratio etiam doctissimum Pancirollum, quantùm nobis videtur, permovit, ut sub *Augustanis* hanc urbem principem disertîs verbîs intelligeret, exprimerétque.

Et quamquàm Itinerarii, quod Antonini nomen præsefert, initia atque originem antiquissimam Viri docti censeant, Criticorum tamen nostri temporis teste Caryophilo Princeps, vir emunctæ naris, Petrus Wesselingius in præfatione ad illud scitè notavit, *quòd plura Sæculi quarti indicia ibi passim extent, atque emineant:* rite utique hæc omnia ad Theodosiana tempora conferenda sunt, circa quæ proin neque nomen urbis, quartùm repetitô ejus vocabulô, certius, neque dignitas ullibi major, aut iterùm certior, quàm in hoc ipso supereſt, probationes cùm ad nauseam jam triverimus, repetere su-

De therm. Herc. p. 40.

pervacaneum ducimus: Nominis verò, & quidem hujus poſtremi, quale in Itinerario ſcilicet ſignatum eſt, omni fere ævo reliquias poſtea indicabimus, quod proin dignitate primum ab Auguſti ævo ex nummo & tempore iterùm ac dignitate ad Theodoſii tempora ultimum ex Itinerario didicimus.

CAPUT XXX.

Contrariæ Eruditorum ſententiæ refelluntur, Curiam, Tridentum, aut Druſomagum Caput Rhætiæ I. opinantium.

DUm iter noſtrum jamjam confeciſſe opinabamur, viam nobis ad Veldidenam Viri tres Litteratiſſimi obſtruunt, Velſerus, Cluverius & Frenshemius: primus etſi aliàs iteratò Coloniam duntaxat unicam Provinciæ totius ex utraque gente conflatæ Caput & urbem principem ſolam Auguſtam adſtruat, in Rhætia prima tamen Caput alterum ſtatuit Curiam: *Primæ Tribunal Curiæ fuiſſe & nomen indicio eſt, & quòd ea urbs perpetuò ejus provinciæ Caput habita: nam quòd quidam Conſtantii demum ætate conditam exiſtimant, infirmis admodùm ſuſpicionibus perſuaſi ſunt:* Verùm reſponſio in promptu eſt, urbes Principes in Directionibus Itinerarii aut Capita aut terminos fuiſſe ex hujus Itinerarii rationibus luce meridiana eſſe clarius: Dein Curiam ante Conſtantini ætatem non conſtructam fuiſſe cum aliis compluribus ipſi Scriptores Rhætici præeunte Tſchudio, ortum ejus ætati Conſtantii conſignant, ùt Cl. Beretta adnotat, cui Cl. quoque Weſſelingius ex eodem Tſchudio adſtipulatur: *inter Scriptores antiquos nullum eſſe, qui Curiæ mentionem fecerit, præter unum Antoninum.* Dein commodum hoc Exercitibus iter (quod Equiti duntaxat pervium, ipſe Cl. Scheuchzerus & experientia docet) quis dixerit? quis in toto, imò duplici Itinere Romano, quod nobis Itinerarium & Tabula ſignat, unicum milliarem Lapidem, aut marmor aliud oſtendere poteſt? quorum tamen milliariorum ſexdecim

Rer. Aug. l. 6. f. 129.

Chorogr. Ital. med. ævi. f. LIV. In Itin. Anton. p. 277.

decim omnino in Itineribus noſtris Tyrolenſibus proſtant; ut illos taceam, quos in hoc ipſo itinere Auguſtâ Veronam, in vicino nobis hujus urbis territorio, Illuſtriſſimus Maffejus collegit; Neque Romanorum Scriptorum quiſquam ante Itinerarium vel Tabulam Curiæ meminit: Ipſe Ammianus Marcellinus, qui in hac vicinia diſertîs verbis moratum, ſe teſtatur, locum aliquem Curiæ vel à longè ſimilem haud deſcribit: quod etiam jam Stumpfius ſolers aliàs Indagator notavit; Ergò longiorem moram trahi non oportet hac in re in Antonini Itinerario, quod ſecutis temporibus pro re nata urbibus poſterioribus potuit eſſe auctum, ùt in Cap. 4to dicebamus: Deinde quis nummorum, urnarum & æris diverſi Reliquias, aut monumenta alia commonſtrat? aut quis ex ipſis Scriptoribus Rhæticis hac de re contendit acriùs? Nemo prudens enim Caput Provinciæ in illa Regionis parte ſuſpicatur, quæ urbibus, oppidíſque nobilibus atque Itineribus Romanorum publicis infrequentior eſt; ſed in illa potiùs, noſtra nimirum, quæ his & antiquiſſimîs quidem referta, & quadruplici Romano Itinere celebris fuit. Quapropter motus his rationibus Geographiæ Antiquæ Conſtituendæ Triumvir Cellarius ita concludit: *Marcus Velſerus Curiam Caput Rhætiæ primæ argumentô ex nomine petitô, quod tribunal ſonat, adſeverat; at plura itinera per Rhætiam diriguntur Veldidenam, à Lauriaco, à Ponte Oeni inferiore, ab Aquileja: nullum, quod ſciam, Curiam, ut vel eo nomine Veldidena præferri poſſit, quam nobilem quondam fuiſſe (nunc enim vicus Wilten eſt) ex vicinia Inſpruck, quæ ex ruinis illius enata eſt, elucet.* Verùm alterum jam Antagoniſtam poſt Velſerum, Cluverium nempè audiamus, qui Tridentum Caput Rhætiæ ſtatuit, ratione ne una quidem addita, niſi quod Itinerarium potuiſſet afferre, in quo terminus Itineris militaris per Vallem Euganeam ab Opitergio duntaxat fuit ſic: l. 15. p. 40. p. 428.

AB OPITERGIO TRIDENTO	M. P. CX. ſic.
AD CEPASIAS	M. P. XXVIII.
FELTRIA	M. P. XXVIII.
AVSVGO	M. P. XXX.

Sed quemadmodum Opitergium nec Aquilejæ nec Laureaco, forte nec Oenipontibus ſimile unquam fuit, ſic ratio pro nobis militat

Itinerarii, ter Veldidenam terminum, imò occurſum triplicem Itinerum reſpiciens. Nec Pincius, nec Marianus Scriptores Tridentini hanc prærogativam pro urbe ſua ſatis aliàs ſplendida, atque tum à Theodorico Gothorum Rege, tum à Ducibus Longobardorum Tridentinis ſervata, munita, atque exculta, neque Authores ulli alii ambiunt, quos omnes deſuper ex illo Romano & medio etiam ævo conſului, etſi aliàs antiquitatum monumentis (quæ utinam aliquando orbi litterato innoteſcerent, certe vix alibi harum rerum meſſis foret beatior) admodùm dives ſit: Accedit, quòd in utriuſque Imperii Notitia ne mentio quidem fiat urbis hujus aliàs tam nobilis, illud autem, ſi Caput provinciæ fuiſſet, nemo tam facile admitteret, cùm ſine milite forſitan urbem principem nullus probaret, crederétve: ſi autem præſidiô quodam firmata fuiſſet, illud certè, quale ibi fuerit (quemadmodùm ubivis id præſtat) etiam Tridenti deſcripſit Notitia. Addo, quòd Antoninorum ævô non Rhætiæ ampliùs, ſed primam Venetiæ Civitatem fecerit Ptolomæus:

L. 3. Geogr. *Venetiæ Civitates hæ ſunt*, inquit, *Tridentum*, *Bellunum*, *Vincentia* &c. riténe, an perperam, noſtri modò Inſtituti non eſt, pluribus trutinare.

Tertius demum, qui omnium maximè veroſimiliorem tueri

Ad epit. l. 136. p. m. 471. ſententiam videri poſſet, Frenshemius eſt: Is in Supplementis Livianis cùm Druſi belli Rhætici Ducem ſciret, Druſomagum Rhætiæ Caput dixit: *Coloniæ vincula*, inquit, *domitarum gentium in Rhætia Druſomagus, Auguſta in Vindelicis excitatæ:* Ritè aliàs hic Vir doctus binas, & non unam (Rhæto-Vindelicos) gentem intelligit, nam &

p. 470. paulo ante jam dixerat: *Vindelici cum Rhætis ſe conjunxerant.* Probè igitur etiam utrique genti urbem aliquam principem & Caput aſſignat; Et quamquàm Cellarius in orbe antiquo de Druſomago altùm cum Baudrano, Rhenano, ejúsque Commentatore Ottone ſileat, Lazius Auguſtam Vindelicûm, Irenicus in exegeſi ſua, & Lycoſtenes ad Ptolomæum, Campodunum cum Hoffmanno intelligat, idémque ipſum Theſaurus Linguæ Latinæ à Ferrario citatus contineat: Ferrarius verò ipſe Memmingam Inſcriptionis antiquæ argumentô contendat: Velſerus denique non multùm fortaſſis à Ferrario remotus Druſomagum in Charta Vindeliciæ ad Hilaram ſive Ilerum hodiernum, collocet; verùm oppidum duntaxat minus ſub

f. 52. dicto ſæpiùs Druſomago ea motus ratione credidit, quòd princeps provin-

provinciæ Civitas Auguſti honori ceſſerit; minoribus autem oppidis privata victoriæ monumenta Nerones, Druſus nimirum & Tiberius fixerint: Omnes hi tamen, ne Velſero quidem excepto, plus minúſve mihi peccâſſe videntur; Lazius verò ex his quàm maxime; qua fide enim Auguſtam Vindelicam (utpote Auguſtam Rhætiæ Veldidenam certè non intelligens) Druſomagum eſſe aſſerere poteſt? ſi Ptolomæus ipſe, qui ſolus Druſomagi meminit, locum hunc ab Auguſta apertè diſtinguit, atque in Rhætia collocat? Eundem errârunt errorem, qui hoc oppidum Kempten voluêre, nam hoc iterùm Campodunum eſt in Vindelicia, noſtrum verò in Rhætia Ptolomæus poſuit. Inſcriptionem Memminganam, utpote in Auguſtano Agro ſitam, cùm non viderit Velſerus, valde ſubvereor, ne quis forte Ferrario impoſuerit; Ego ſanè hujus oppidi nomen, aut ſimile quid Memmingæ repertum fuiſſe in nullo Inſcriptionum Antiquarum Collectore hactenus reperi, quod tamen ſcire meâ non parum intererat, cùm ad Rhætiam pertinere ex dicendis arbiter: Neque Velſerus denique, ùt dixi, excuſandus omnino eſt, quòd Druſomago locum in Auguſtano agro fecerit, niſi quòd more ſuo Rhætiam cum Vindelicia confundat, eaſdémque utriuſque rationes fuiſſe ſibi certò perſuaſerit, quas tamen Ptolomæus diſertiſſimîs ſejunxit verbîs: Standum igitur iiſdem firmiter reor, quotieſcunque conveniens oppido cuidam in ſua, quam dixit, provincia locus aſſignari poteſt: Atque id moviſſe Celebrem Geographum Gerardum Mercatorem credo, quòd in tabulis Ptolomæi Druſomagum ſaltem ad Vinnones ſeu Vennones in Valle hodie Venuſta collocârit: Eandem quoque viam peritiſſimi duo in Geographicis Duces Cellarius & Cluverius trivêre: prior in ſua de Druſi expeditionibus diſſertatione ita decernit: *monumentum ex illo bello poſteriori* VII. p. *etiam ævô ſuperfuit Pons Druſi, ùt in Theodoſiana Tabula vocatur inter* 557. *Sublabionem & Tridentum ſitus, qui videtur Ptolomæi Druſomagus eſſe, quam in Rhætia quidem, ad fines verò Vindelicíæ collocavit.* Confirmatior adhuc Cluverius in Vindelicia ſua, *reliqua*, inquit, *ejuſdem Itinerarii* (Auguſtâ Veronam) *Matrejum, Vipitenum, Sublabio, Pons Druſi, qui Ptolomæo Druſomagus, jam extra Vindelicíæ noſtræ limites poſita, Rhætorum quia fuêre loca, nihil ad præſentem commentationem pertinere puto.* Et certè ſi Druſomagus Pons Druſi ſeu hodiernum Bulſanum eſt, quod alibi planum faciam, tunc ſitus ejuſdem, ſitui à Ptolo-

Ptolomæo indicato longè convenientior eſt, quàm ſingulis locis aliis, ſupra allatis; nam in deſcriptione Rhætiæ juxta *Caput Rheni fluvii* Civitates quaſdam, & *poſt has*, id eſt, nonnihil remotiùs, alias iterum, in quibus Druſomagus, idem Geographus enarrat: à Capite autem Rheni quælibet ex priùs deſcriptis remotior eſt, quàm Druſomagus, ut nihil dicam, ſi forte locô *Rheni Oeni* legendum eſſet, quod in corruptis Ptolomæi Exemplaribus nil novi foret; cùm in quibuſdam Taciti & Pauli Diaconi, eadem correctio adhibenda fuerit in verbis: *In Regione Brionum in Rheno flumine*, Briones enim indubitatò ad Oenum pertinent: quod etiam Velſerus circa hunc locum corruptum, alíumque huic ſimilem jam advertit.

Excuſſo igitur Druſomagi ſitu nunc Frenshemio reſpondemus, rite quidem illum, hunc locum Rhætiæ tribuiſſe, probamúſque Cluverii & Cellarii ſententias eò confidentiùs, eò quòd teſte Illuſtriſ-
Inſcr. t. 1. f. 76. ſimo Bimardo apud Muratorium *Caturigomagus* nihil aliud ſit, quam Civitas Caturigum, ita etiam Druſomagus aliud eſſe nil poſſit, *quàm Civitas Druſi*, etiam *Pons Druſi* dicta, quàm ille fortaſſis ad confluentes ibidem Talferæ & Hiſarci Atheſi fluvio impoſuit, ubi in his ipſis Alpibus cum Rhætis confligens Victor evaſit: in cujus rei monumentum non ſecundariô, ùt credit Velſerus, ſed primariô titulô Civitas dein condita fuit. Verùm quamquàm locus hic antiquiſſimus & planè nobilis ſit, cum Veldidena tamen eundem comparare nondum auſim; nullum enim adeſt in Nummis, Lapidibus, vel Authoribus Coloniæ Romanæ, dignitatis urbium præcipuæ veſtigium, nullus Auguſtæ titulus; in ſola quoque Peutingeri tabula & apud Ptolomæum occurrit, nullibi autem in Itinerario, & ne quidem ſemel, ne dicam, tertiùm ùt Caput Directionis: in utriuſque demum Imperii Notitia nullum locum, ac proin neque milites obtinet, quæ omnia de urbe principe dici minimè poſſunt. Manet igitur illibatus hic Veldidenæ honor, quem illi Viri Litteratiſſimi Cellarius & Maſcovius dudum ante me vindicârunt.

CA-

CAPUT XXXI.

Demum ab Attila deſtructam eſſe Veldidenam exemplô aliorum in Rhætia locorum credibile fit.

SI ergo, quod veriſimilius nobis viſum eſt, Theodoſiorum adhuc tempore Veldidena integra dignitate perſtitit, indagandum nunc erit, quô circiter annô poſt Theodoſium deſtructa fuerit. Si ſequi Aventinum placeat, annum habemus Domini quingenteſimum octavum. Hoc enim Theodone Bojus urbes & oppida, quotquot Romanorum in Norico & Rhætia fuêre, atque inter hæc Veldidenam communi clade afflixit: Sed exploſa hæc dudum omnia à Velſero, Brunnero, atque reliqua emunctioris naris Hiſtoricorum etiam Boicarum Corona, aliqua tamen, monente ibi Velſero ſubeſſe interdum poterant: quibus plura, imo maxima & longè alia adjecerit Aventinus. Veldidenam enim ſtatim poſt medium Sæculi V. funditus everſam fuiſſe conjectura mihi, Aventino verò ad ſexti ſtatim initium expugnatam eſſe, pronuntiata ſententia eſt: diſcrepamus in hoc, quòd ille Bojos, nos Hunnos everſores ſtatuamus: peſſundatam inter alia Sabionam per illos fingit, per hos id Calamitatis illatum ritè ſcimus; malim igitur hoc etiam de aliis credere urbibus ac oppidis, eodem ſcilicet turbine ſubverſa pleraque fuiſſe: Tridentum equídem à Theodorico Gothorum Rege Italiam invadente exciſum, poſtea verò ipſo permittente reſtauratum teſte Cl. Orlendio in orbe ſacro ac profano, Platina in vita Gelaſii Papæ credidit, Pincius verò aliud de hoc nil refert, quàm *urbem muris cinxiſſe*: alii Viri docti longè certiùs Caſtellum feris gentibus objectum *Verrucam* (hodie *dos di Trent*) exſtrui juſſiſſe autumant: Obſcurus Caſſiodorii locus *Civitatem* vult conſtrui, ejuſdem Conſtitutionis titulus verò in editione ſaltem mea Genevenſi de anno 1676. tantùm *muros Civitatis*, contextus reliquus *territorii parvitatem* innuit, non exempta denique *domus divina* opus non leve loquitur.

Rer. Boic. l. 3. f. 97.

p. 2. l. 2. c. 14. f. 365. f. 12. Var. III. 48.

Var. V. 9.

Var. V. 9.

Huic nodo ſolvendo dum Oedipum quæro, hariolari & ipſus aliquid auſim, & dicere, non videri Tridentum à Theodorico, in Tyrannum Odoacrem non in ſuos futuros Cives miſſo, ſed paulò ante ejus adventum ab Attila exciſum fuiſſe; reſtauravit enim potiùs urbes, quàm perdidit Theodoricus, vir retinens moris Romani, ſi quiſquam alius. Crederem igitur potiùs tum muros urbis dirutæ erexiſſe, tum urbi reſtitutæ contra barbaros certiùs in poſterum præſidium in Caſtello proximo exſtrui curâſſe, non enim alium circa hæc tempora Tridento (quod utique priùs utpote nobilis Romanorum teſte Lapide Colonia, muros habuit) infeſtum novimus, quàm Attilam, qui compendio viarum per Opitergium à ſe pariter, aſſe-
f. m. 124. rente C. Cælio Calano Dalmata, deletum rectà in Itinerario Antonini viâ illuc deferri ſaltem per ſuos potuit: Nam licèt Velſerus ob diverſas Authorum ſententias dubius hæreat, utrum Attila Italiam ſuperatis Norici, Rhætiæque aſperis montibus in Illyricum primò & dein in forum Julium delatus, invaſerit, quod Callimacho & Olao viſum, qui militem viarum anguſtiis, tædiiſque irritatum omnia pro-
In Monument. f. 123. Hungariæ. triviſſe credunt, præplacet tamen mihi Cl. Bælii in ſuo Juvenco Dalmata ſententia, quòd nimirum proficiſcente per fauces Alpium Pannoniarum exercitu, Copiarum pars altera in Noricum & Rhætiam, altera in Illyricum, non minùs prædæ ac populationis cauſâ quàm ùt vires Romanorum dividerent, irruperit, in Carnis demum protrito Romanorum præſidio, reliquo corpori adſerta. Duplex igitur ab Aquileja in Rhætiam teſte Itinerario via patuit, & quidem brevis utraque, una ab Aquileja Opitergium, ab Opitergio Tridentum: altera per compendium & Vallem hodie Puſteriſſam Veldidenam. Prima ab Aquileja Opitergium in tabula Peutingeriana ſic deſcribitur, ita tamen, ut iter hoc relegi debeat, cùm ab urbe Aquilejam deductum in Tabula ſit:

OPITERGIO XL.
CONCORDIA XXX.
AQVILEIA.

Reliquam ab Opitergio Tridentum viam Capite præcedenti vidimus, ſicutì & alteram ab Aquileja per compendium Veldidenam Capite V.to; hi igitur in Rhætiam irruentes Hunni à Tridento per

Pontem

Pontem Druſi ſeu Bauzanum haud abſimili furore (non à Theodone, ùt vult Aventinus) protrito Romanorum ſi quod ibidem fuit præſidio, Teriolos haud dubiè unâ ruinâ aſcenderant, quam Coloniam Romanorum, Præfectíque Legionis III. devehendarum ſpecierum & Tribuni gentis ſedem fuiſſe paulò ſuperiùs Capite XXVI. conjecturâ non improbabili adduximus. Teriolos autem hac tempeſtate periiſſe inde moveor, quòd poſt ducentos circiter ab Attila annos jam urbs, quam Aribo ejus Civis aut vicinus, Majam vocat, forte ex ruinis etiam Teriolenſibus, in altera Paſſeris fluvii ripa creverit, quin ea urbs tum nova Ariboni dicatur, quod florente adhuc in dextra fluminis ripa Teriolorum Colonia imperceptibile foret: Inde verò reduces Sabionam protriviſſe hos ipſos Hunnos, (& non Romanum ibi Præſidium utì & profugos ex Norico Rhæticóque Romanos milites à Theodone deletos ùt iterum vult Aventinus) tam proprium Brixinenſe, quàm alii teſtantur, ita quidem, ut teſte Cl. P. Bollando in vita S. Ingenuini Sabionenſis Epiſcopi tantùm apud Eruditos controverſia ſit, an Sabiona, poſtquàm ab Hunnis & Attila everſa eſt, unquam reſtaurata fuerit, num verò Cluſium oppidum, ad pedem montis ſuffixum, eidem ſucceſſerit. Quid reliquis per utramque Itinerarii viam diſperſis Romanis manſionibus contigerit, cogitatione potiùs quàm deſcriptione aſſequi poſſumus; aliqua certè loca ita periêrunt, ut quorundam ſitus hodie ſit dubius, qualia ſunt Littamum & Sebatum, alia inſuper etiam nomen (etſi de ſitu forte conſtet) amiſêre, & ſunt: Pons Druſi, Aguntum, Vipitenum: quorum bina, ſaltem aliqua ex parte ſextô primùm, Sebatum verò nunquam ampliùs, & cætera decimô tertiô demum ſæculô aliîs longè nominibûs prodiêrunt.

T. 1. Febr. à f. 659. §. 32.

Et quamquàm certîs hæc ejus ævi teſtimoniîs affirmare non poſſim, haud mitiùs tamen cum tota Rhætia noſtra egiſſe Attilam ex eo convincor, quòd in adverſos ſibi crudeliſſimè animadverterit, quare cùm probè haud dubiè noverit, quòd Briones ſeu Breones noſtri (ſub quo nomine tum latuiſſe omnes Tyrolenſes reor) Aëtio adverſus illum auxilio in Galliis fuerint, hinc genti noſtræ univerſim infenſiſſimum, obviam ſeſe vindicandi, illámque delendi occaſionem arripuiſſe non ex vano auguror: cum Aëtio autem Breones adverſus Attilam ſtetiſſe teſtis nobis locuples Jornandes & Freculphus eſt, dum ajunt: *His enim* (Aëtio & Romanis) *adfuêre Auxiliares*

De reb. Get. c. 36. p. 664. ed. Grot.

Chron. T. 2. l. 5. c. 14. *liares Franci, Sarmatæ, Armoritiani, Litiani, Burgundiones, Saxones, Riparioli, Ibriones, quondam milites Romani, tunc verò jam in numero auxiliariorum exquiſiti, aliæque nonnullæ Celticæ, vel Germanicæ Nationes.* Et quamquàm aliàs, ùt diximus ſub Brionum nomine (ita enim legendum Velſerus ad hunc locum, & poſt eum alii monuêrunt) Brenni Incolas, accoláſque, Oeníque præprimìs, Viri docti communi calculô intelligant, hic tamen, cùm gentium fortiſſimarum latè patentium enumeratio fiat, totius provinciæ noſtræ robur hoc nomine veniſſe credendum eſt. Tandem vim & atrocitatem Hunnorum neque Veldidenæ peperciſſe, etſi nullius teſtimoniô conſtet (niſi fortè iterum Aventini Theodonem ſequi velimus) binis tamen conjecturîs hiſce ſuffulcior, quòd ejus nomen ſæculo mox inſequenti quinto D. Gregorio Turonenſi non ampliùs cognitum fuiſſe videatur: Guidoni verò Ravennati Sæculi VII. Geographo omnino omiſſum fuerit: Prior enim, dum de loco B. Laurentii reliquiis & nomini Conſecrato, *quod per incuriam longinqui temporis* (probabilius ab Attilæ everſione) *valde detectum erat* renovando mentionem faceret, & prodigium de tigno breviori, quod Divi hujus beneficio creverit, multisque extiterit ſalubre, adducto etiam Venantii Fortunati de hoc prodigio Carmine narrâſſet, mox addit: *Acta ſunt autem hæc apud Brionas Italiæ Caſtrum:* cujus loci & Presbyteri paupertatem & exiguitatem ſimul incuſat. Caput verò Brionum ad Oenum in Breonio ſeu urbem Breunenſium ex Plinio Veldidenam fuiſſe novimus, urbem Rhætiæ I. principem utì & Rhætiam ipſam Italiæ tum præcipuè accenſam non ſemel nos diximus. Templum huic Divo erectum hodie adhuc cernimus, atque jam tum ſtetiſſe ex Tabulario antiquiſſimi ibidem Collegii Præmonſtratenſis didicimus, cùm circa medium Sæculi duodecimi pervetuſtum ibi aſceterii ædificium unà cum hujus Divi templo illis traderetur: ita enim in Diplomate Reginbertus Brixinenſium Epiſcopus Anno 1140. exarato, & à me inſpecto loquitur, *quòd nimirum urgente Charitate Chriſti &c. ac neceſſitate Paſtoralis officii, Beati Laurentii Eccleſiam, ſitam in villa, quæ dicitur Wiltbina, uſque ad tempora noſtra minùs correctam, minúſque cultam colere & corrigere ſategerit:* Addit Reginbertus: *Inſuper & nos dignitatem & poſſeſſionem prædictæ Eccleſiæ ampliare cupientes, Baptiſmalem Eccleſiam in eadem villa ſitam contradimus & delegamus ad Eccleſiam B. Laurentii Martyris.* Per quæ verba

Rer. Aug. f. 175.

De gloria Mart. l. 1. c. 42.

L. 9. Carm. XIV.

ba illis quoque reſponſum eſt, qui forte præter antiquiſſimum templum Parochiale de aliis ibidem Sacris ædibus nihil ritè nobis conſtare contenderent. Per Caſtrum verò, non arcem aliquam, ùt imperiti ſomniant, ſed amplum oppidum intellexiſſe Turonenſium Præſulem Ducangius notat, & Cellarius ex ejuſdem Gregorii l. 3. c. 19. Divionenſis Caſtri deſcriptione etiam reliqua dimetitur, atque hæc ipſa ad Veldidenam quoque non ineptè olim applicanda verba pro exemplo affert: *Eſt Caſtrum firmiſſimîs murîs in media planitie & ſatîs jucundè compoſitum.* Gloſſ. hoc vocab. f. 967. Orb. antiq. p. 1. p. 234.

Si igitur ævô adhuc illô urbs princeps fuiſſet, utique nominis ejuſdem pariter meminiſſet hic Divus, nec Caſtrum hoc ſolùm à populis incolis, accolíſque, ſed propriô compellâſſet vocabulô, ùt alibi in aliis præſtitit. Geographus demum Ravennas aliorum in Rhætia noſtra non meminit locorum, quàm quæ hîſce expreſſit verbîs: *Item deſuper non longè ab Alpibus ſunt Civitates, id eſt Sirmio, Garda, Ligeris, Trincto, Inia, Tridentem.* Manet ergo ſuum Conjecturæ pretium, infenſum Brionibus Attilam, Aquilejâ per Compendium inſtar torrentis parte copiarum irruentem, urbi principi haudquaquam peperciſſe: Dixi Conjecturæ; certis enim teſtimoniis, ùt loquitur Strabo *hæc non affirmaverim, de hujus enim generis rebus ipſa ſatîs eſt Conjectura:* quæ & mihi ſatîs omnino hactenus fuerat & fuiſſet ſemper, niſi Viri quidam, etiam doctiſſimi, aliter opinati fuiſſent, dum non ex clade Attilæ, ſed propter natam ſenſim auctámque urbem Oenipontanam decreviſſe Veldidenam perſcripſerunt, imò ex ejuſdem incrementa ſumpſiſſe ruderibus. De qua re paucîs ut hîc agam, eò magis neceſſarium duco; cùm videam plures etiam graves Authores id erroneè ſenſiſſe hactenus; neque ullus omnino, quantùm ſcio, rem ſolidè tractârit. Sciendum igitur eſt, Oenipontum ex ruinis Wilthinenſibus minimè creſcere potuiſſe, hoc enim oppidum remotum omnino, & ultra Oenum ad pedem pagi Höttingenſis olim ſitum, atque arctis circumſcriptum fuiſſe limitibus, & vix plures cepiſſe hoc ſpatium domos, quàm ſingulas una ſerie junctas, & ſic unicam tantùm plateam, vel hodie adhuc patet; pagus autem dictus, in vicinis Collibus eminens Höttinga, antiquior eſt plerorumque conſenſu, & *Præconis* etiam *Höttingenſis* tanquam teſtis in Inſtrumentis perantiquis fit mentio, nunquam *Oenipontani*, neque ullibi in Diplomatibus aliis hujus fori trans Oenum Edit. Gronov. p. 785. l. 4. p. m. 354.

reperitur mentio ante annum 1180. Sola enim cis Oenum, ubi modò urbs eſt, Eccleſia S. Jacobi eo in loco, ubi modò eſt, conſtructa fuiſſe fertur temporibus Caroli M. quantùm ex traditionibus duntaxat accepi cum titulo: *Sanct Jacob in der Aw*, ſeu templum in Augia, ùt illó ævô mos loquendi invaluit, nihilque aliud ædificiorum illo tempore in hac ripa conſtructum fuiſſe per hoc etiam fit probabile, quòd non procul ad perpetuam rei memoriam in foro publico ex Lapide, quem nos Quadrum vulgò dicimus, ſella conſpiciatur antiquiſſima, & juſtô abhinc ſpatiô ex eodem Lapidis genere coni novem; In hac enim ſella Paſtorum principem conſediſſe narrant, dum reliqui paſtorculi gregem hiſce in viretis cuſtodientes conis luderent. Niſi fortè eadem ſella (ut alii credunt) ſedes fuerit Malli ſeu Judicii publici, vulgò Ding- ſive Geding-Stuhl. Utcunque res hæc ſe habeat, manſit certè ſolitudo, ac nomen Templi D. Jacobi in der Au uſque ad annum Salutis 1180. ubi primùm à Berchtoldis Patre & Filio Marchionibus de Andechs, & Ducibus de Meran erectum eſt ibi forum, id eſt, oppidum ſeu Caſtellum, qualia nos Fleckhen, ſive Marckt & Marckt-Fleckhen appellamus: En! Verba Diplomatis autographi, quod in Archivio Wilthinenſi aſſervatur: *Berchtoldus Marchio de Andechs, & filius ejus itidem Berchtoldus Dux de Meran Henrico Præpoſito Wilthinenſis Cœnobii juxta æſtimationem loci, forum translatum continentis, tantundem prædii Eccleſiæ contulit in concambio manſum in vico Ombras, talentum ex telonio fori, Jurisdictionem in tres domos, & ut nulli Forenſium alibi molere, niſi apud Wilthinenſes liceat &c.* aliáque nonnulla privilegia, quæ hîc referre haud neceſſarium ducimus: hoc Forum, Civitatis dein Jura & mœnia ab Ottone ultimo Meraniæ Duce anno 1239. recepit, ùt iterùm Autographum à me in Tabulario urbis Oenipontanæ inſpectum docet, murique ejus cum foſſa ambitum planè amplum non occupant: Oenipontem enim ampliorem potiùs ac ſpectabilem ſuburbia reddidêre, quorum tamen pleraque ædificia ætatem duorum Sæculorum vix ferunt, ùt certîs teſtimoniîs ſcio: His & magnificis templis noſtris plerísque quoad ſtructuram recentioribus materiam præbuêre vicinæ Lapicidinæ, & marmoris venæ variæ, quarum quotidie plures deteguntur: Nobiliora in urbe ædificia conſtans Principum præſentia à Sæculo XV. conſtruxit, & præprimis etiam Emporium ſeu prima olim Statio mercium Venetarum in Germaniam transvehen-

vehendarum Oeniponti conſtituta, quæ pars Commercii Alexandrini divitem pariter hanc urbem, atque conſtruendis tot Arcubus & Turri artificioſiſſimæ parem reddidit: quos ſumptus tamen hodie difficulter ferret: Sed jam redeundum iterum ex urbe Veldidenam, ac pro coronide perenníque rerum memoria integer Divi Gregorii Turonenſis locus cum integris pariter verſiculis teſtis fortè huc delati (nam ejus per Tyrolim iter in ſuis Carminibus & proſa, à Paulo Diacono quoque exſcriptum, ac repetitum adhuc ſupereſt) Venantii Fortunati nimirum afferendus eſt: prior autem rem Veldidenæ geſtam per hæc verba expreſſit; *Templum erat in quodam loco B. Laurentii & reliquiis & nomine conſecratum, quod per incuriam longinqui temporis valde detectum erat, quod cùm renovare loci Incolæ vellent, ſylvas adeunt, inciſa, lævigatáque ligna trabes efficiunt, impoſitásque plauſtris ad locum exhibent. Quibus per humum ad ordiendum extenſis, una brevior eſt reperta, ſtatímque Sacerdotis animum, qui hæc inſiſtebat, dolor maximus attigit, & flens valde, quid ageret, quò ſe verteret ignorabat, tunc intuens roborem breviorem, ait: ô Laurenti beatiſſime, appoſitus igni glorificate, ſemper pauperes fovens ac reficiens: Cogita paupertatem meam, quia non eſt exiguitati noſtræ facultas, qualiter hîc alia exhibeatur: Illico cunctis attonitis trabs crevit in tanto ſpatio longitudinis, ut neceſſe eſſet partem magnam incidi. De qua induſtria plebis beneficia perdere nefas putans, credens eam manu Martyris tactam ac prolongatam partem, quæ ſuperfuerat, fruſtatim decerpens diverſas infirmitates ſæpè ſubmovit, quod Fortunatus Presbyter hîs verbîs proſecutus eſt:*

Laurenti meritò flammis vitalibus uſte
Qui ferventi fide Victor ab igne redis
Dum tibi templa novant breviori robore plebes
Creverúntque trabes, crevit & alma fides.
Stipite contracto tua ſe mercede tetendit
Quantùm parva priùs, poſtea cæſa fuit.
Creſcere plus meruit ſucciſa ſecuribus arbor,
Et didicit ſiccâ longior eſſe comâ
Unde reciſa fuit, populis fert inde ſalutem
Si venit intrepidus, lumina cæcus habet:

Multô

Multò plures exinde ſcripſit verſiculos, quos ego prætermiſi, hos tantùm pro teſtimonio veri ſcribens : Acta ſunt autem hæc apud Briones Italiæ Caſtrum nam vidi ego hominem, qui graviter dentium dolore laborans accepta de hoc ligno à Sacerdote particula ſtatim, ùt dentem attigit, dolore protinus caruit :

L. IX. n. XIV. de Baſil. S. Laur.

Verſus autem integri Venantii Fortunati, quos citat Sanctus Pater, ſunt hi :

Laurenti meritò flammis vitalibus uſte
Qui fervente fide Victor ab igne redis
Vir Dilecte Deo, terreno in corpore quondam,
Tunc quoque ſydereus jam tibi ſenſus erat.
Qui potuiſti oculos tactu revocare ſepultos,
Rurſus & in vacua fronte referre diem.
Luminis extinctas iterùm accendiſſe lucernas
Credimus hæc ſignô te faciente Crucis.
Addita nunc etiam populis miracula præſtas
Et fidei tribuis indubitanter opem.
Dum tibi templa novant, breviori robore plebes
Creverúntque trabes, crevit & alma fides.
Stipite Contracto tua ſe mercede tetendit,
Quantùm parva priùs, poſtea cæſa fuit.
Creſcere plùs meruit ſucciſa ſecuribus arbor,
Ut didicit ſiccâ longior eſſe comâ.
Unde reciſa fuit, populis fert inde ſalutem,
Si venit Intrepidus, lumina cæcus habet
Tu Levita Sacer, pœnâ purgate fideli,
Unde priùs flammas, hinc modò lumen habes,
* *Viſita.* * *Viſa ita temporibus Venerandi Antiſtitis acta*
Sed tamen æterno ſunt memoranda die.

Videtur hoc de cæco prodigium Venantius eâ ex cauſâ Carminibus celebrâſſe ; cùm & ipſe à vehementi oculorum dolore per ſtudia contracto ope S. Martini Epiſcopi fuerit liberatus, ad cujus Sepulchrum ſe Tarviſio per Tyrolim iter faciens Turonum in Galliam contulit. Quid autem Sæculis dein ſequentibus ſeptimo & octavo cum Veldidena actum, an deſerta omnino, atque ex ejus (utique perexiguæ jam, ſi ita ſit) reliquiis monaſterium ab Haymone Gigante exſtructum

ſtructum fuerit, cùm meris traditionibus conſtent, ſuo relinquendum loco cenſui, præcipuè cùm ad res Romanas jam diu non pertineant, rurſúmque, quomodò vivente adhuc S. P. Norberto priores Canonici ſed minùs Regulares Clerici (ùt loquitur in Diplomate ſuo Reginbertus Epiſcopus Brixinenſis) *eradicati*, & Canonici Præmonſtratenſes *implantati* Anno 1138. fuerint tanquam de re juſtum opus aliud commerita, conſultò abſtineo, cùm id Viri in hoc Collegio Eximii, & omni diſciplinarum genere præſtantes adhibitô Tabulariô inſtructiſſimô longè feliciùs pro ſummo Hiſtoriæ Patriæ bono perficere poſſint, atque utinam brevì perficiant, omnibûs votîs deſidero.

****

CAPUT XXXII.

Quænam hodie ex tantis ruinis ſuperſint.

NOſtrorum haudquaquam iniquitas temporum, aut priorum ruditas ea nos Calamitate obruit, ut non benè multa ex ipſo telluris ac fundorum Wilthinenſium ſinu deprompta affatim ſuppeditet. Juvat cuncta ordinatim depromere. Et inprimìs quidem ampliſſimum, quod videmus Aſceterium cum Auguſto templo, Sacra item æde Parochiali, ac Turri antiquiſſima, totóque Wilthinenſi pago cum ampliſſimo agro, ex Veldidenæ noſtræ reliquiis creviſſe conſtans etiam Doctorum traditio eſt: Ingentes quoque hinc inde in agris & vicinia tota adhuc muri latent, quales etiam & duriſſimos quidem operarii ante biennium ſolô ſatìs profundo, unà cum oſſium humanorum reliquiis, ungula ferrea, & Capite animalis vetuſtiſſimi temporis documento, (cùm varia animalia ad rogum mactari Græcis, Celtis, atque Romanis ipſis in more teſtante Kirchmanno poſitum fuerit) invenêrunt, dum locus pro Hypogæo ad tumulandos in templo D. Virginis mortuos pararetur: In agris pariter ad Viam Regiam Monaſterio oppoſitam illis in locis, ubi muri latent, citiùs ſegetes flaveſcunt, formâ ſuâ veru, ſeu craticulam exhibentes, hinc jocus à proximo D. Laurentii templo traductus, a- l. 3. c. 4. p. 215.

grum Craticulam S. Laurentii, ad quam ille pertinet, referre: Muros præterea per majus etiam ſpatium extenſos, quales mœnium eſſe ſolent, cum turris quadratæ fundamentis, alióſque complures adhuc in fundo hærentes amplum illud ſpatium per complures centenos paſſus extenſum in agris illis, tegularum, Lapidúmque fruſtulis vel hodie refertiſſimis exhibet, qui antiquiſſimæ Nobilium Sedi *Straſsfrid* dictæ adjacent, & in quibus haud ita pridem tot nummos atque binas etiam fibulas Illuſtriſſimus ac Excellentiſſimus Poſſeſſor erutas ſervat; Quin idoneô edoctus ſum teſtimoniô totam, ſi quid ſubruatur, viciniam, etſi Patrum adhuc ævo ſylveſcens viretum fruticibus plenum fuerit, muros ſubterraneos detegere. Et cùm paulo ante fibularum injecta fuerit mentio, binas (veſtiarias hîc omnes intelligo) pariter ibi Illuſtriſſimus ibidem Vir, & primam ex plumbo illo antiquiſſimo duriſſimóque reperit: aliam ex ære cum viredine illa prædura, ſplendida, ferè immortali, quæ certa antiquitatis nota eſſe ſolet, unà cum acu ex multis circulis prodeunte, atque iterùm duplicem diverſam ex ære cum viredine illa fibulam Cœnobium quoque Wilthinenſe cuſtodit haud ita pridem in urnis repertam: prima cum acu ductili tribus aduncis ordine ſuo unguibus, quibus veſtes admordeat teneatque armata: fibulam aliam ipſemet ego inter Cineres eleganti in urna olim Veldidenæ reperta, nunc in arce Ambracenſi aſſervata 4. Maji 1736. produxi, atque iterùm ſingularem, qualem quidem nullus, quos legi, Antiquarius vidit; in ſtatuis tamen Romanis ſæpiùs occurrit, ſpina nimirum è medio prodeunte, quæ veſtimenta poſſit figere: unde autem hæ fibulæ provenerint, Kirchmannus nos docet, dum ait: *Rogô extinctô Reliquiæ vel oſſa legebantur:* Ideò pronum eſt capere, conſumptîs igne veſtibus fibulas ſuperfuiſſe in Rogo, cúmque cineribus oſſibuſque reliquis unà ſubin urnis incluſas fuiſſe: Verùm nec fibulas duntaxat, ſed & acus mulierum ſive Virorum in his Vetoninæ Campis tibi offero, omnes ex ære, certo antiquitatis teſtimonio, omnes virore illo haud imitabili decoras: binis acumen deeſt, ita variegatis globulis ſeu clavis, ùt tantùm binæ in his ſibi ſimiles, reliquæ tres diverſæ ſint elegantiæ: ſexta autem loco globuli foramen habet, quales multæ ex hodiernis aut plebeis, aut argenteis, quæ globô carent. Et quamquàm non obvia ſint iſthæc, necdum tamen omnem penum noſtram exhauriunt: nam etiam cultros afferimus æneos,

p. 230. de fun. Rom.

ſeu

ſeu cultrorum laminas eadem viredine tinctas; duo ex his palmi Romani dimidium, tertius tres omnino partes longitudine æquat, omnéſque inſtar acinacis paulùm incurvantur. Præter fibulas, acus, & cultros etiam urnarum omnis generis ac magnitudinis minimè ſpernenda copia eruitur: & id quidem à binis jam aut ultro ſæculis, adeò ut elegantem unam ac vitream alteram cum cineribus & oſſiculis, in quibus, ùt diximus fibulam æream nemini antea notatam deprehendimus, in arcem Ambracenſem Archiducum adhuc patrum noſtrorum tempore ab Aſceterio tranſmiſſas non ex vano ſuſpicemur. Neque caſu ampliùs inveniuntur hæ urnæ hodie, ſed certus omnino locus ſuppetit, undè plures erui poſſe novimus. Nam detexit ante biennium menſis Aprilis unica dies novem omnino intra ſpatium duntaxat, unius ædificii modici capax, compertúmque mihi etiam aliunde eſt, urnas in vicinia illa quamplurimas alio quoque tampore fuiſſe detectas: Spectavi enim attonitus die 10. Maji 1740. agellum integrum ruderibûs urnarum plenum in vicinia Wilthinenſi ad arcem Sonnenburgicam ab emphiteuta detectarum, dum novalia eſſet facturus: ſexdecim fuiſſe majores in fruſtra diffractas intellexi: ſex parvulas integras reperimus, quarum una mihi dono oblata ceſſit, diligenter hactenus aſſervata: deprehendimus in his pugiones binos ex ære, non ſatìs tamen integros, acum Crinalem curvam, & alteram rectam cum nodulo elegantiſſima illa viredine tinctam aliáque æris fruſtula rogi ignibus conflata ac confuſa: Nec dubium complures adhucdum ibi latitare: Servat has quoque ſæpiùs dilaudatum Wilthinenſe Cœnobium: Nec iſtas duntaxat, ſed alias complures variæ magnitudinis; dimenſus ſum etenim ex his unam ante complures jam annos è terræ viſceribus prorutam palmum Romanum cum dimidio in profunditate, in diametro binos excedentem: ultra duos pariter palmos aſcendit Ambracenſis utraque, ſeptémque, & fere ſingulæ integræ partim infra partim ſupra, medium palmum aſſurgunt: Novem illæ nuper admodùm repertæ, ſed fere in fruſta redactæ inter has omnes prope mediæ ſunt dimenſionis, & magnitudinis, ùt de fruſtis ferè innumeris inter quæ una phialam refert, taceam: Majores Cineribus plerumque, & æris etiam interdum ramentis, oſſiculíſque refertæ ſunt omnes, non ſemper mediæ nec minimæ formæ, ut adeò definire haud queam, an excipiendis liquoribus, an condendis etiam forte

Plin. l. 7. c. 16. ætate minorum poſt genitos dentes, (nam hominem priùs, quàm dente nato cremari mos gentium non eſt) cineribus & oſſiculis deſtinatæ fuerint. Nunc quia varia ex ære antiquitatum, atque indubia ſigna (quorum plura olim ex ære monumenta in arcem toties dictam Ambracenſem translata fuiſſe traditione non vana didici: quæ utinam Scriptis ſignata, & non cum illis ipſis memoriâ ſaltem ſuâ ſepulta fuiſſent, qui iſthæc olim digitô monſtrare poterant, & monſtrâſſe dicuntur) attulimus, etiam Inſcriptiones & Lapides à nobis requirentur. Sed aut altùm adhuc tumulatos, aut temporum hominúmque injuriâ periiſſe credibile eſt; Quotquot enim vidi, & vidi per omnem propemodùm Tyrolim, ferè ad quinquaginta præter milliares, omnes duntaxat à Maximiliani I. Imp. temporibus detecti ſuperſunt. Et quia hos partim à tanto Principe æſtimari, partim deſcribi atque inſeri eruditis operibus à Viris doctis Appiano, Aventino, Pighio, &c. intellexêre Cives noſtri, tum demum in pretio eſſe atque aſſervari cœpêre hæc Veterum monumenta, & Geographiæ reſtaurandæ ſubſidia.

Per tot proin ante Maximilianum primum Sæcula quid non periit? aut quid tam iteratus gentium barbararum monumenta omnia odio Romani nominis devaſtantium per hanc regionem velutì per januam Italiam petentium tranſitus aut rabies reliquit intactum? Poſt has Antiquitatum reliquias, quæ non ſemper occurrunt, illas nunc dabimus, quas ferè quotidie manibus terimus, immenſam nempe nummorum vim & varietatem, in qua deſcribenda Cl. Viri Liebknechtii Conſilium præprimìs ſequor, qui ſingula, ubicunque demum nummi eruuntur, loca rite adnotare nos juſſit. Circa Oenipontum igitur ac Veldidenenſem Viciniam data ad hoc opera Vir nobilis ac doctus Guilielmus Putſchius de Hackingen & Gerenſtain Ferdinando I. à Conſiliis, & Excelſo Superioris Auſtriæ Regimini à Secretis (quemadmodùm in ſuo, quod congeſſit, Chronico Wilthinenſi manuſcripto ad annum Domini 1568. pluribus indicat) viginti octo diverſi generis ex argento ac ære nummos ab Auguſto ad Gratianum uſque reperit, quos tum ille, tum Burglechnerus, in ſuo, quem de ſæpiùs memorata Wilthina ſumma exaravit induſtria, manuſcripto Codice, tum in vaſto de rebus Tyrolenſibus opere iterum repetiit. Nec ceſſavit in his ſi non indagandis, ſaltem conſervandis, ſi quæ reperta ſunt nummiſmatis, poſterorum induſtria,

duſtria, quæ identidem in Celebratiſſimum Gazophylazium Ambracenſe translata fuêre, ùt idoneis Authoribus didicimus: Neque hodie eorundem nos Copia deficit, quamplurimos enim hinc inde ab annis proximis non multùm diverſi æris, temporis & moduli, ſed quod caput eſt, diverſiſſimîs etiam locîs erutos ipſus coram inſpexi; Inſignem quoque eorum cumulum vel in ſola vicinia diſperſim, ac ſucceſſu temporis repertorum antiquiſſimum Wilthinenſe Collegium adſervat, neque ſpernendus eſt numerus quem paulatim ex agris, quos trecentis ferè ab Aſceterio hoc, paſſibus amplos poſſidet, Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Vir quidam nobilî ſanè curâ colligit. Ex quibus omnibus, ut rariora quædam commemorem, retulit mihi peritus quiſpiam, legitimum Othonem æreum, nummum rariſſimum ad foſſas urbis noſtræ fuiſſe repertum, qui in theſaurum dein Regis Boruſſiæ, delatus, omnî pretiô major eſt viſus. Gordianum Græcum maximi moduli, utique rarum, vicinus Aſceterio campus detexit: Auguſtum verò ex ære elegantem (qualem etiam Begerus inter rariora exhibet numiſmata cum Laurea in reverſa, ùt vocant, ſolíſque Litteris S. C.) ante annum nobis Campi Ambracenſes ſuppeditârunt. Aureum quoque nummum, cujus imago me fugit, Campi Arzlenſes horâ diſſiti: alium hortus in Suburbio Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi cujuſdam Dynaſtæ, & nuper admodùm Cæmeterium quoque, dum in majus ſpatium extenderetur complures, atque rurſus diverſos ad viciniam Oenanam, alios demum Via Regia Auguſtam verſus quingentis circiter ab urbe noſtra paſſibus, uti & mons S. Blaſii horâ plùs minùs remotus integrâ in lucem produxit, ut illos taceam, quos in ampliſſimis & ferè unius horæ ambitum complexis Wilthinenſium Campis inter arandum annîs omnino ſingulîs, ſingulos etiam & ſparſim ſors liberaliter offert. Neque noſtro primùm ævo tam docta meſſis obtigit; quippe jam ante ſeſqui circiter ſæculum Pragæ 1605. Eruditiſſimus Igelius noſter in notis chartæ ſuæ Tyrolenſi adjectis ſtatim poſt initium de Veldidena aſſerit: *in iis agris, qui circa monaſterium ſunt, coloni antiqui numiſmata & Lateres, vetuſtæ illius Romanorum manſionis Veldidenæ manifeſta indicia, terrâ etiam hodie interdum eruunt. Ex cujus ruinis monaſterium illud procul dubio eſt conſtructum.* Germanica Monacenſis de anno 1622. ſic habet: Alte Münzen und Stain &c. Quibus omnino ritè perpenſis illud puto, quod hîc intendo, haud difficulter me evincere, nempe:

Vol. 3. f. 88.

nempe: si in spatio horarum circiter trium, imò quatuor aut quinque, non verò in remotioribus ab hoc spatio locis, nummos Romanos ab Augusti ad Heraclii ævum pleróque omnes non collectos, non uno in loco casu repertos, sed sparsim quasi disseminatos à secundo & tertio, quod jam excurrit, sæculo velutì fortuitò modò hìc, modò ibi oblatos modò singulos ùt plerumque, atque raro (imo vix unquam) plures aut plurimos: variæ autem figuræ atque ætatis, majoris, minorísque moduli constanter repertos, etsi pro temporum vice olim, & fortè nunc non ubivis dignè habitos, æstimatósque quis ritè consideret, evidenti utique ratione evinci, locum olim ambitu suo amplissimum, Romanorum frequentiâ nobilem, & dignitate cæteris præstantiorem fuisse.

CAPUT XXXIII.

Cur plura requiri non possint.

QUamquàm confectum jamjam, quoad scriptionem saltem, meum de Veldidena negotium mihi tacitus gratulari auderem, paulatim manum de tabula retrahere cogitans, fuêre tamen nonnulli, qui allatas Veldidenæ reliquias aspernati longè plura & ampliora à me requirerent: dubitantes, quodsi Coloniam Romanorum Veldidenam statuere sit animus, nôsse nos oportere, has simulacra quædam parva urbis Dominæ Capitolium, Circos, Theatra, Amphitheatra, thermas, templa, arcus, Palatia, aquæductus olim magnificè ostentâsse: quemadmodùm & Coloniæ aliæ per orbem Romanum ubique hodiedum exhibeant, præcipuè verò Inscriptionum omnis generis vim innumeram se meritò exigere: Verùm enimverò etsi hæc & similia olim Veldidenæ extitisse forsan non inviti concedamus, id tamen aliorum, etiam Celeberrimorum, locorum exemplo manifestum reddemus, nihil frequentiùs hodie esse, quàm quòd plerorúmque disparuerint dispareántque vestigia: & Inscriptiones vel nostris etiam temporibus licèt cultioribus, pessimè nihilominùs habeantur. Inprimìs autem perlubenter ab his rescire

vellem,

vellem, num id, quod à me petiêrunt, ab omnibus, qui antiquas Colonias detegunt, communi ſibi jure vendicent; tunc enim, ùt etiam à Laureaco (quæ indubia hodie Eruditis Colonia, Noricíque Ripenſis Princeps, & certa Metropolis Geographica eſt habita) iſthæc repetant velim: nihil ego planè horum, quæ exigunt, in illis, qui de Laureaco ſcribunt, Authoribus deprehendi, nihil omnino in marmorum Collectoribus. Verùm ſingula examinemus; Capitolium nempe, Circos, theatra, thermas, templa, & ſi quæ ſunt alia Romanæ potentiæ oſtenta, deſiderant? Aſt jam ante duo & dimidium ſæculum Joannes Jucundus Veronenſis de his rebus in urbe Domina liberaliter conqueſtus jam eſt: *horum aliqua ita evulſa eſſe, ut non modò eorum pars nulla videatur, ſed nec, ubi fuerit, cognoſcatur; aliqua verò non ſine maximo animi dolore tempeſtate hac noſtra deſtrui vidimus. Sunt, qui affirment, magnos calcis cumulos ex ſolis Epigrammatum fragmentis fuiſſe congeſtos.* Eadem piacula Laurentius Pignorius, aliíque jam dudum deteſtati ſunt. Quod autem theatra attinet, fortè jam Hetruſcorum tempore ac more Veldidenæ lateritia eſſe potuêrunt, & hinc eò faciliùs deſtrui, ac proin nemo ſanæ mentis eorum à nobis reliquias poſtulabit. Atque utinam Diocletiani furor aut medii ævi ruditas non peſſundediſſet completa in his ædificiis Acta Proconſulum, fortè non una S. Martyris in Amphitheatro dein Romano Veldidena lucta ſervata fuiſſet. Quid jam templis, thermis, Circis & ædificiis aliis contigerit, pronum eſt aſſequi, ſi enim Romæ talia periêre, quid his utpote ignobilioribus nec tam firmis Operibus factum ſit? Credidit inſuper non rarò religioſa nimis Chriſtianorum ſollicitudo, è re Catholica eſſe, hæc Ethnicorum monumenta funditus deſtrui, extirparíque, quod præcipuè etiam lapidibus factitatum certus affirmare auſim, in quibus Deorum, Dearumve aliquis vel plures inſcripti fuerant, ut omnis imbecillibus relabendi occaſio tolleretur: Plura quoque à barbaris odio Romani nominis perdita ſunt, multa non rarò in contemptum Veterum facta: Urbs Vejæ celeberrima olim Colonia, adeò deleta fuit, ut Fabrettus poſtquàm in Lapide ibidem reperto multa detexiſſet, illud tamen ſingulare mox adjecerit, quòd ſitum ejus detexerit, hîſce verbîs gloriatus: *minima tamen, ùt dixi, hæc omnia in ea Inſcriptione Vejentana ſunt habenda, ſi illud præcipuum conſideremus, quòd, ſi qua controverſia de ſitu Vejentanæ urbis remanebat, ea omnino ſublata*

In præf. Muratorii ad Inſcript.

Inſcr. c. 3. f. 228.

sublata est ex loco, unde lapis effossus est. Et planè quod de Vejis ce-
l. 4. eleg. 11. cinit Propertius, etiam nos de Veldidena repetimus :

Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arva metunt.

l. 1. c. 20. idémque quod de his Florus, & nos dicamus : *Hæc tum Vejentes fuêre, nunc fuisse quis meminit? quæ reliquiæ? quódve vestigium? laborat annalium fides, ut Vejos fuisse credamus.*

Hisce remotis longè minùs quoad Lapides laboro, postquàm
Ver. Ill. ex Illustrissimo Maffejo didici, quòd in Veronensi Urbe, amplissima
l. 5. p. 89. & omnî ævô splendidissima, pauciſſimi horum excidium effugerint; Quomodò igitur Veldidenæ in urbe funditùs eversa, & nunquam ampliùs restaurata servari potuissent? Cur autem Lapides ferè omnes
In præfat. pereant, perierintque, si causam quis petat, hanc â Cl. Muratorio
Inscr. t. 1. audire non renuat : *quia*, inquit, *indocti homines nihili facientes veneranda Antiquitatis frusta, aut à majoribus suis collecta, aut in effossionibus sibi oblata, nullô negotiô ipsa distrahunt, dilacerant, atque in omnem usum præcipuè ædificiorum sine ullo discrimine disperdunt : alia deferuntur ad marmorarios, atque statuarios, inhumanos videlicet antiquitatis lanios, qui expunctis omnibus vetustatis notis eadem ad nova quæque opera, protùt utilitas poscit, reformant, seu potiùs deformant : denique non levis earum pars ad calcarias translata, atque igne soluta Calcem marmorariis & Cæmentariis artificibus utilem præbet : Dominico Vantellio Mutinensi à me supra laudato testabatur quidam Lapicida Ravennas, se supra quadraginta marmora titulis antiquorum dicata in calcem redegisse, & sanè plerósque Lapides à Scriptoribus Ravennatibus jamdudum ad Notitiam nostram deductos nunc ibi frustra requiras : in libris quidem eædem Inscriptiones vigent, at in marmoribus periêre : Id quoque in aliis urbibus factum deprehendi, atque ego ipse id Mutinæ animadverti, ubi complura marmora, in libris veterum memorata, nunc desiderantur.* Verum scripsisse Muratorium innumera prô dolor! exempla docent, ostendit enim ipsemet hic Vir Clarissimus, Mutinæ Lapidem Porphyreticum Inscriptione Græca nobilem, quô ad terendos Colores Pictor utebatur : Latinam in mensa Tabernæ publicæ Romæ Fabrettus, ibidémque utì & alibi complura sic scripta in templorum pavimentis marmora ferè omnes Inscriptionum Collectores. Neque immunis ab his erroribus Patria nostra est : In urbe quadam nostra-

te

te celebri, nobilissima de Augusto Inscriptio murô potissimam partem obtegebatur, ego autem, ne lateret diutiùs, eruditi amici precibûs impetravi: In antiquissima Templi Cathedralis Tridentini fabrica Columnam non procul infra Chorum, ubi ad S. Maxentiam descensus fuit, forte fortunâ contemplatus Tabulam sesquipedalem defuisse Architecto adverti, quam ex media Inscriptione aliquid de Hadriano Cæsare continentis excisam eidem Columnæ, sed inversam inseruit: Nalsii medio inter Bulsanum & Meraniam itinere ad firmandum campanilis pedem Inscriptionem ferè deletam, inversam alteram, & dimidia parte corruptam pro sedili ante templum Parochiale Malsii in Valle Venusta à Latere positam, manum denique Anaglypham in frusto marmoris inter alios muri Lapides Leontii, & aram ethnicam ex vano scandali timore de industria ibidem læsam, & firmandæ scalæ admotam, murisque junctam deprehendi. Quin certò spondere illiberabilibus exemplis edoctus possum, quòdsi etiam Lapides quidam eruditi Calamitatem temporis evadant, & feliciter in luminis auras protrahantur, nisi statim Eruditi manus suas auxiliatrices porrigant, vel à Magistratibus prohibitio, aut interdum etiam præmium accedat, eosdem vel hodie certè perituros esse: Possem equidem binos, qui Veldidenæ fuêrunt, utì & alios in Oenipontano agro quondam inventos, jámque olim in Ambracensem translatos aream inscriptos Lapides afferre, sed cùm potiùs ad Viam Regiam, quàm ad Veldidenam pertineant, his modò supersedeo, quamvìs certum mihi aliàs sit, ex nulla re magìs demonstrari Veldidenæ inter urbes Rhætiæ principatum, nisi ex viarum Regiarum occursu, *quas ad celeritatem mittendi Litteras* (ùt etiam cum Cl. Evo Edit. Trarardo Ottone in libro illo singulari ac præstanti de tutela viarum pu ject. 1731. blicarum loquar) *exequendi mandata, compescendi seditiones, & maxi-* 8. p. 317. *mè facilitatem ducendi Exercitus Romani - - - pro Majestate Imperii evexêrunt*, eáque re omnibus gentibus palmam præripuêrunt: Has autem ad Veldidenam vias, Rhæticas nempe, ab Augusto fuisse perfectas luculentus nobis testis Strabo est, de confectis olim Rhæticis gentibus sermonem faciens: *Eæ nunc partim excisæ sunt*, inquit, *partim domitæ, ut iter supra montes, per illos, quod olim erat angustum,* c. l. 4. *& superatu difficile, multis nunc locis pateat, tutúmque sit ab injuria hominum, & expeditum, quod ipsum* (Augusti) *opere est confectum, nam Augustus Cæsar Latronum excidio viarum structuram adjecit, quantam*

omnino licuit perfici. Quod autem pene fidem superat, testes hujus rei circa Veldidenam, & quidem omni exceptione majores adhucdum in hodiernum prostant diem Augustæum ævum citra controversiam loquentes; Lapides nempe milliares, & quidem sine Inscriptionibus omnino quatuor: nam teste Illustrissimo Maffejo *ante Augustum milliarem Epigraphem habemus nullam, nec Plutarchus, qui Columnas à C. Graccho κατὰ μίλιον dispositas, aut Strabo, qui in via Egnatia erectas memorant, de Inscriptione addita quidquam innuunt:* quotquot autem inscriptas habemus non Præsidum aut Consulum, sed ad viarum aggeres (qui non Augusti, sed posteriorum Imperatorum) *vetustis nomen Cæsareum nitet Columnis:* Canebat Sidonius, imò idem etiam paulo ante Illustrissimus Vir monuit: *se etiam in iis, quarum aliquas Augusto inscriptas vidisset, quasque ibi, ubi viderit, commemorat, numerales tamen notas in iis haud observâsse &c. addens: cùm numerabilibus notis careant singulæ, conjicere possumus, id moris sub Augusto nondum invaluisse, uniuscujusque milliarii terminum lapide consignare: Consuevêrunt jam quidem à Punico bello Romani, ùt Polybius docet, sed quod à proxima vel primaria Regionis urbe millia passuum numerarentur, inscul-pere argui videtur ex his Augusti Cippis vetustiori ætate non consuevisse.* Unus adhuc ex his quatuor illiteratis, ùt ita compellem, lapidibus quingentis à Cœnobio Wilthinensi passibus Orientem & Arcem Ambracensem versus progressis in agro occurrit Augustæô ævô, vel paulò ante erectus: terræ adhuc dimidium immergitur, nulla Inscriptione notatus, nisi hôc ipsô esset nobilior: imò vel solus hic lapis dignitatem in antiquissimis etiam Litteris retinuit, consului ea de re Tabularium Wilthinense, & in Diplomate Reginberti Episcopi Brixinensis ad annum Domini 1141. tanquam terminum bis illum invenio ita nominatum: *à Lapide Milstain in Campo Omeras*, & in Litteris emphiteuticis Jacobi Præsulis: **Auf dem Amraer-Feld bey dem Meilstain:**

Antiqq. Gall. ep. 7. ad Garellium Eq. p. 37.

In Propert.

Ex quo etiam Lapide Augustæum si quis ævum Veldidenæ conciliare contendat, non invitus sum: nemo enim cultas ab Augusto Regionis cujusdam vias sine urbibus, aut mansionibus, quò dirigebantur itinera, vel fingere sibi unquam poterit: atque hos saltem Lapides in Itinerum ab Aquileja, Augusta Vindelicorum, Laureaco, & Oenipontibus concursu (qui Veldidenæ contigit) in vim probationis

tionis ejusdem præcellentiæ interim acceptabit adversarius noster, donec fors & dies alia proferant.

Cui equidem rei meliùs haud consuli posset, quàm si jussu Principis Lapides aut sculpti aut scripti tum inventi, tum forte inveniendi in locum aliquem publicum conveherentur, & ibidem affixi in communem utilitatem Litterariam omnibus, præcipuè in Lapidaria proficere volentibus, paterent: excipio tamen ab his milliares, qui ad demonstrandas antiquas Romanorum vias suô relinquendi forent loco, si in hoc ipso deprehensi fuissent. Incredibile enim est, quantus cum tempore apparatus colligi posset: Exemplum hac in re Illustrissimum sanè & Ducem sese præbuit Marchio Veronensis Scipio Maffejus, utpote qui in urbe Patria stupendum erexit theatrum, in quo spectandas proposuit Inscriptiones Græcas CX. Romanas Diis sacras & vota iis soluta LX. Imperatorias XXX. cum compluribus aliis ad Consulatus, aliáque in toga & sago officia & artes pertinentibus, suásque in Classes distinctis: Sepulchrales autem innumeras, Christianas multas & admodùm singulares; Etruscas XXV. neque Arabicæ, Ægyptiæ aut Hebraicæ desiderantur, aut Tabulæ scalptro artificioso elaboratæ. Et quamvis tanta unquam Copia sperari minimè queat, plurima tamen adhuc supereſſent, quæ magnam utilitatem ac lucem afferrent Tyrolensium Antiquitatibus, ut nihil de recentioris ævi monumentis dicam, quæ sine ingenti rei Genealogicæ damno negligi haudquaquam possunt; Interim tamen notabili non ita pridem numero periêrunt, cui rei planè cavendum esset in posterum.

CAPUT XXXIV.

Quomodò ex antiquo Veldidenæ nomine paulatim hodiernum Wilten prodierit.

MUltiplici edoctus sum experientiâ & vario in eruendis locorum Tyrolensium nominibus tentamine didici, trinas vias esse, unde illorum immutatio, ac derivatio ferè deprehen-

di & monſtrari poſſit, demendô, immutandô, & addendô: Demendô quidem id fieri univerſim expertus ſum, integra enim hodie rarò, qualia Romanorum tempore fuêre, comparent nomina; Uſus Germanorum hoc tulit monoſyllabis, aut breviſſimis verbis utentium, quod poſtea magis etiam Tyrolenſibus exemplis monſtrabitur; Immutando nil aliud ferè contigiſſe ſcitur, quàm Sæculo circiter ſexto Vocales E. in I. vel viciſſim I. in E. & Littera V. in W. ac D. in T. addita Barbara pronunciatione ac declinatione migrâſſe, quod pariter variîs documentîs manifeſtum reddetur. His non rarò immutatis, ferè ſemper autem truncatis ſeu abbreviatis vocabulis interdum Litteræ S. vel T. vel utraque fuit addita, ut ſonum vocis exaſperarent antiqui Germani noſtri, quod mox videbimus, ubi ex Archivio Wilthinenſi varias id genus nuncupationes proferemus: quas tamen minimè inſolitas, allatis compluribus ſic immutatis locorum per totam provinciam nominibus ad oculum demonſtrabimus. His addemus vel conjecturam immutati jam in tabula Peutingeriana antiqui nominis, vel ratione erroris: Inveni igitur in Wilthinenſis Aſceterii tabulario Litteras ſine Conſule, non tamen die, ad annos tamen ùt credo, fundationis ac confirmationis, nempe ab anno 1136. ad 1140. quàm proximè accedentes Henrici Saxoniæ Ducis locum nominatum: *Wiletis*, in Bulla Innocentii II. P. M. 2. Kal. Maji Anno 1138. data: *Willitenſis Eccleſia.* In Litteris Reginberti Epiſcopi Judiciariam poteſtatem conferentibus de Anno 1140. *Wilthinenſis.* In Inſtrumento Withmari militis de Matray de Anno 1249. *Wilitinenſis:* In Diplomate Immunitatis à Vectigalibus Alberti Tyrolenſis de Anno 1299. *Wilthina*, utì & Ottonis & Henrici Tyrolenſium de anno 1308. comparet. Henricus item Tyrolenſium Dux ac Bohemiæ Rex Anno 1334. *Wilenthinam* vocat, Ludovicus Bavarus Imp. in Litteris de Advocati munere Anno 1344. in ſe recepto illam *Willentin*, Albertus Auſtriacus Anno Domini 1387. *Wiltein*, Leopoldus Auſtriacus Anno 1396. *Willetein*, Alexander VI. P. M. Anno 1410. *Wyllentin*, & demum Rudolphus II. Imp. *Wilthan* compellat. Ex quo nomine ultimo cùm loca vicina eſſent Patrum adhuc ævo, arbuſculis, fruticibus ac dumis obſita, primúmque annis Sæculi elapſi diverſis in ſpatiis cultior ad ſegetem & campos redditus (utì Neuraut, vocabulum novale, loquitur) nomen Wiltau prodiit: In Inſtrumentis tamen publicis, quantùm ſcio, nullus hujus

jus vocabuli aut perrarus usus fuerat. Jam rationem quoque hujus mutationis afferamus: Constat enim antiquissimis Celtarum seu Germanorum ferè monosyllaba in usu fuisse vocabula, hinc etiam Romana, quæ nobis in hac provincia supersunt, nomina (ut cum Vegetio loquar) abbreviata, qualia sunt *Athesis*, *Aetsch*, *ad Lacum Latsch*, *Mallum*, *Mals*, *Teriolis*, *Tyrol*, *Pons Drusi* seu *Bauzanum* Diaconi, *Bozen*, *Vallis Anania Vall de Non*, *Vallis Euganea Vallsugan*, *Endidejum Enn*, & *Terminum Tramin*, *Theodorici Veronam*, *Dietrichsbern*, *Brixentæ*, *Brixen*, *Sabionæ Seben*, & hæc in Regione Athesis. In via Aquilejensi *Lonzium* Lienz, *Sebatum Sebs*, & dein *Scha*. In Valle Oenana *apud Brutes* Bruz, *Statio* Stanz, *Humisse Ymbst*, *Strata Strat*, *ad Torrentem Tarrentz*, *Flurininga Flaurling*, *Scarbia* & *Scarabantia Scharnitz*, & demum *Veldidena*, *Vildidena*, *Vildena*, *Vildina*, *Wilthina* seu *Wilthin* & *Wilthen*. Sciendum est etenim sæculô circiter jam sextô in multis etiam per Tyrolim nomenclaturis Litteras E. in I. & I. in E. migrâsse: Exempla aliqua duntaxat afferamus; Geographus Ravennas ita habet: *Item desuper non longè ab Alpibus sunt Civitates, id est, Sirmio, Garda, Ligeris, Trincto, Inia, Tredentem.* Vides: *Ligeris, Inia, & Tredentem Legerthall, Enn, & Tridentem:* Tridentum nimirum, quô vocabulô ultimô corruptè etiam usus est Annalium Caroli M. apud Leibnizium Conditor, dum *Tredentinam Vallem* dixit: unde natum ex *Teriolis Tyrol*, ex *Brennonibus* nostris *Briones*, ex *Vennonibus Vinnones* & *Vinschgaü*, ex *Celere* fluvio *Ciler*, *Lyco Lechus*, *Brenta Brinta*, ex *Eno* demum *Inn*, seu *Igne* & *Interim*, ùt aliqua Exemplaria Pauli Diaconi, & Chartæ Geographicæ medii ævi scribunt, paulatim prodiêre: Atque hæ demum nominis Veldidenæ mutationes fuêre, quantùm quidem in tanta rerum antiquarum caligine hariolari licuit: Quænam autem urbis tantæ fata, succedentibus sibi invicem tot annorum, imò Sæculorum periodis, atque Imperiorum mutationibus fuerint silentibus Scriptorum universis, quis, amabo, definiet? Illud miror potiùs, quàm capio, quòd in Tabula, satis equidem, ùt omnes fatentur, corrupta, aliud diversúmque ab Itinerario Veldidenæ nomen reperiatur: *Vetonina* ibi scribitur, an errore Librariorum? an sicut in aliis Rhætiæ locis videre est, utì sunt in prima ac

Geogr. l. 4. §. 30. p. 785.

f. 136.

f. 172. ſecunda Rhætia, (in Notitia utriuſque Imperii) *Auguſtanis, Febianis, Quintanis, Batavis, Pinianis.* In quibus omnibus, uti & aliis hujuſcemodi Authores plerique Pancirollo Duce *Caſtra* intelligunt: In p. 370. Itinerario quoque in Itinere Germanico *Veteribus*, in Britannico *Ve-*
p. 467. *teris*, & inſuper in Tacito *Loca vetera* nomen eſt, & adhuc aliquo-
Ann. 1. ties in eodem Authore ſenſum ipſe mox explicat Hiſtoricus: *Et fuit*
45. 2. *interim effugium Legionibus in Caſtra, quibus Veterum nomen eſt:* Quidſi
Hiſt. IV. igitur & nobis ſomniare liceret: Vetonina nihil aliud fuiſſe, quàm
18. 3. *Caſtra vetera Antonina* ab Antoninorum quodam? quidſi à Caracalla, qui vias & pontes noſtros, teſte milliario Lapide olim ante Cœ-
Circa annum Dominini 240. nobium, viæ militaris indice reſtituit? *& circa Rhætiam non paucos barbaros peremit.* Alemannos fuiſſe ex eodem fonte hauſimus, eò quòd Antoninum hunc Alemannicum dictum aſſerat; niſi dicere
Spart. in Carac. p. 262. mavelis, poſt everſam ab Attila urbem nomen Veldidenæ paulatim quoque exſpirâſſe apud Scriptores exteros; id quod ferè ex S. Gregorio Turonenſi colligendum eſt, cum præcipuè florentibus Longobardorum rebus in Rhætia noſtra non Veldidena ampliùs, ſed Tridentum ob vicinum in Italia Regnum ſedes eorundem Ducibus lecta fuerit: Tota enim, quod jam diximus, Tabula illa Peutingeriana ſequiorî ævô ſcripta eſt, quô plerique Litterarum rudes arma tantùm tractârunt, nec Viros illis Litteratos fuiſſe ex eo conſtat, cùm in Hiſtoricis ſolum Paulum Diaconum, & Venerabilem Secundum Tridentinum enumerent. Errâſſe igitur potiùs in Veldidenæ nomine remotis adeò temporibus credendus eſt Librarius, cùm etiam in aliis ibidem Locis Geographicis barbara nomenclatura ſæpiùs peccaverit, ùt frequenter in hoc opere monuimus.

CAPUT ULTIMUM.

Concluſio Operis.

TAndem vela nobis contrahenda, atque invictæ Lectorum patientiæ grates peragendæ ſunt: Iſta denique, nec plura de Veldidena noſtra ex omni antiquitatis, & ſedula Authorum luſtra-

luſtratione potuimus in lucem protrudere, optantes unicè, ut nobis cum Cl. Montefalconio eadem contigiſſet felicitas, quòd nimirùm *ex Antiquitatibus multarum rerum Notitia, quam apud Scriptores fruſtra quæſieris, invenerimus:* Num verum omnino dixerimus in tanta rerum noſtrarum caligine, imo num dicere ſemper potuerimus, haud moramur, nec pro certis aſſerta noſtra venditamus, ſed prudenti cujuſvis hæc omnia relinquimus judicio. Ego obſequor Fabretto: *monenti, ut in rebus tam antiquis, ſi quæ ſimilia veri ſint, pro veris accipiantur:* & Reineſio: *non exiſtimo, à quoquam reprehendi jure poſſe, ſi de re obſcura dicam, quod veriſimile eſt, dum ſic aliis acutioribus ad verum inveniendum ſiam manuductor.* Quòd verò omnes interdum apices longiori indagatione ſcrutati ſimus, cenſuram utique timeremus, niſi ab hac idem Reineſius nos abſolveret ſatis criticè in hæc verba locutus: (putant, quòd) *Non docuerim alios magnum quid, perdito hiſce minutiis die, at in ipſis parvis, parvarúmque rerum cogitationibus veritate delectari generoſæ mentis eſt, & pendent ab iſtis utcunque parvis viſis magna judicio eorum, qui veræ Eruditionis fines latiſſimos eſſe intelligunt, contra quàm ſentiunt Trivialis Litteraturæ oſtentatores, ab incude ſcholaſtica adhuc calentes.* Neceſſaria hæc ſanè fuêre, *nam vetus Hiſtoria ex his ſolùm fontibus hauritur* (ait Cl. Montefalconius) *diviniſque diſciplinis ornari peroptant, multóque magìs ii, qui rei Litterariæ promovendæ dant operam, nonniſi aſſidua Veterum Scriptorum Lectione poſſunt rem feliciter gerere.* Aſſumendus utique hic labor fuit, ut Civibus noſtris rationem redderemus, quantùm Antiquitatum noſtrarum reliquiæ decorem Patriæ concilient, quantúmque ex Veterum ſcriptis, ſi improbo labore his evolvendis incumbamus, erui poſſit: *non enim cum animis artes Cœli ex penetralibus cecidêrunt, ſed exquiſitæ & natæ ſunt in terris hîc omnes, & cum proceſſu temporum paulatim meditatione conflatæ.* Si ſcopum attigimus, non nobis, ſed Patriæ hic honor cedit, verúmque eſſe illud Columellæ apparet:

Inſcr. f. 62.

Inſcr. f. 195.

f. 147.

Arnob. l. 2. adv. gentes.

Ipſa novas artes varia experientia rerum
Et labor oſtendit.

Dico ego *novas urbes:* imò antiquas, ſeu antiquiſſimas, Martyrum fortè aliquando in fidei exordio Sacro ſanguine reſperſas certante crudelitate Magiſtratuum gentilium cum invicta Conſtantia pugilum

lum Chriſtianorum. In his rudimenta doctrinæ ſalutiferæ docuiſſe S. Caſſianum, & fortè adhuc, ſaltem in earundem reliquiis, S. Valentinum credimus, & alibi pluribûs indagabimus. Cæterùm quod Velſerum Virum ſummum, Litteraturæ ſolidioris, & ſinceræ probitatis Exemplar impugnare ſimus auſi (quod tamen cum debita tanto Viro reverentia fieri à nobis ſedulò curavimus) nemo utique nobis vitio vertet, aliter enim ſpartam noſtram implere, aliter Patriæ noſtræ conſulere non potuimus, ita Itinerarii & Rei Romanæ ratio, ita Senecæ monitum juſſit; *Ego verò*, inquit, *utor viâ veteri, ſed ſi propiorem invenero, hanc muniam, qui ante nos iſta movêrunt non Domini noſtri, ſed Duces ſunt, patet omnibus ars, nondum eſt occupata: multum ex illa etiam futuris relictum eſt. Quæ enim invidia eſt* (ait in rem noſtram Caſſiodorius) *ſi inter ſarmenta ſterilia de vite veteri plantaria eligantur, quibus in ordinem complantatis uberioris vineæ ſucceſſio propagetur?* Si enim ritè Velſeri dicta excepi, non plauſum volo ſed Patriæ meæ honorem: ſatis mihi, ſi illi Conatus hic meus qualiſcunque probetur, ſi enim poſt Deum naſcimur Reipublicæ utique Patriæ naſcimur & rebus Patriis, ſi autem errâſſe me quis (quod proniſſimum in tantis tenebris) deprehenderit, rogo moneat, omnibus idem ſcopus eſt, veritas, dictante enim Lactantio: *audendum eſt, ut veritas pateat, ut multi ab errore liberentur.* Secus enim: *optimus eſt portus pœnitenti mutatio Conſilii:* Aut emendabo enim, quæ ſcripſi, aut ſi doctis vel Superioribus meis ſcripta hæc non probentur, manum de tabula ad nutum removebo: ſi autem non ingrata intellexero, plura fortè promam, quæ tenuis ſuppellex mea ad res Tyrolenſium Sacras profanáſque eruendas vel multo collecta Itinere Patrio, vel indefeſſo variis ex tabulariis ac manuſcriptis Codicibus ſudore congeſta aſſervat, quæ omnia, ſi ſuppetunt, adhibitîs ſemper Authorum probatiſſimorum ſenſis roboraturus ſum: Scio equidem probè, non omnibus omnia probari, & vel Æliano docente didici: *nunquam omnia omnibus pulchra, neque omnia omnibus videntur ſtudiô digna.* His tamen confidenter repono me pro viribus præſtitiſſe, quod in Patriæ decorem ceſſurum credidi, ſi ſpe excidam, propoſiti tamen laude non carebo: afferat omnis ille meliora, antequam vituperet quiſpiam aliena: Suus omnibus ſtudiis honor eſt, quin à me etiam ſemper habitus, æternúmque habendus: *Demus igitur alienis oblectationibus veniam* (ait Plinius Junior) *ut noſtris*

Ep. 33.

De amicit. in prolegom.

De vera. Cic. Phil. 12.

In præfat. l. 1. de animal.

ſtris impetremus : Demus, inquam ego, alienis ſtudiis & oblectationibus Litterariis honorem, ut noſtris impetremus veniam, quam ſcio Scriptis meis eſſe neceſſariam. His enim Conatibus Sacra & profana Hiſtoria ſolidè firmatur (quod Deo dante proximè in Actis S. Valentini Apoſtoli noſtri palàm faciemus), Chronologia, res Litteraria, & Antiquaria, ſana Criſis addiſcitur, Authores antiquiſſimi Sacri & profani faciliùs intelliguntur, ac feliciùs longè explicantur; Heterodoxi denique ipſi, qui aliàs magno damno noſtro in his ſtudiis plurimùm verſantur, hîs etiam adminiculîs fortiùs convincuntur, atque errores ſuos apertiùs dedocentur. Ita Litteras orthodoxas Superi beent, & omne ſtudium noſtrum promoveant, *atque ſi ex uſu & gloria Patriæ eſt, Deus mihi vires donet!* Lipſ. epiſt. cent. miſc. V. 95.

FINIS.

Index rerum præcipuarum.

A.

ACus mulierum antiquæ. Pag. 154
Adler-Berg. 98
Adria, Hetruſcorum urbs. 116
Agathemerus. 78
Agathodæmon. 23. 25. 78
Alpes, quo tempore Tuſci eas occuparint, 90. 91. *cur tam ſero à Romanis fuerint laceſſitæ,* 94. *earum deſcriptio,* 89. 90. *elogium,* 96. *primi incolæ,* 111. *trophæum,* 68. 114. *gentes Alpinæ Velſero non differunt ab illis, qui campos ab Alpibus ad Danubium incolunt.* 43
Ambroſius. 79
Ananiæ Vallis Incolæ. 110
Antiquitatum reliquiæ plures adferuntur. 153. *ſqq.*
Antonini Itinerarium; cui Autori adjudicetur, 11. 12. *ætas ejus incerta,* 13. *ſeculi quarti indicia ibi paſſim extant,* 139. *quæ nomina forte habuerint autographa prima,* 13. *comprobat Veldidenæ nobilitatem.* 15. *ſqq.*
Appenninus, idem ac mons Brennerus, 100. *ejus etymologia traditur.* 103
Appianus. 57. 58
Aquileja, caput Directionis, 17. 35. 36. 38. *item Directionis terminus,* 39. *licet deſtructa, paulatim tamen reſtaurata fuit,* 22. *inter Romanorum Colonias fuit.* 31
Aſceterium Wilthinenſe. 1
Aventinus, 24. *merito à Velſero confixus.* 42
Auguſta Vindelicorum, ne in unico quidem lapide Auguſta Rhætiæ vocatur, 78. *nec ab unico Autore antiquo,* 78. *nec in Notitia Imperii,* 79. *vocatur Ælia,* 67. *cur Auguſta compellata,* 71. *cur Vindelicorum nomen habeat additum,* 71. 72. *an Caput Rhætiæ,* 3. *eam Auguſti Coloniam fuiſſe, columnæ milliares Auguſti confirmant,* 74. *poſt Attilæ furorem reparata fuit,* 21. *cur Autor notitiæ eam Veldidenæ præpoſuerit,* 26. *non erat unica Rhætiæ Colonia,* 57. *ejus inſigne, nux pinea.* 63

B.

BAbenhauſen. 24
Barbam tondendi ante Hadrianum Romanis mos non fuit. 131
Baudranus. 7

Bauzanum. Pag. 136
Beretta. 87
Bergierius. 41
Bernenſes ſunt Plinio Brenni. 106
Bertoli. 18
Brennerus, mons, 6. 9. 74. 77. *antiquiſſimis jam Scriptoribus innotuit,* 99. *ſqq. dedit originem vocabulo Pyrenæi.* 103. 104
Brenni, 9. 34. 77. *quibus alii inſigniantur nominibus,* 105. *ſub Pæonum nomine apud Appianum probabiliter latent,* 107. *per totam Oenivallem fuerant diffuſi,* 109. *incolæ Veldidenæ.* 109
Breones non diſcrepant à Brennis. 107. 108. 144. 148
Breunenſes. 92
Brix. 112
Brixantes. 8

C.

CApitolinus. 79
Caſtellum, fœderis, 30. *inter Caſtella pertinebat Veldidena,* 30. *hæc & urbes non diruere ſoliti ſunt Romani.* 31
Catulus, Conſul, 89. *ejus fuga ad Atheſin.* 29
Caturigomagus, idem ac Civitas Caturigum. 114
Cellarius. 2. 16. 26. 87. 141
Celtæ, primi fuerant Alpium Incolæ, 111. *quidnam gentis Celtæ fuerint.* 111. 112
Cimbrorum irruptio in Italiam. 89 94. 102
Civitates, quas Tuſci inſtaurarunt, num populos integros deſignent. 116
Climberrum, Ptolomæo urbs Auguſta Auſciorum. 134
Cluverius. 2. 8. 52
Colonia Latina, 126. *Coloniæ Romanorum,* 27. 28. 120. 121. *cujus indolis fuerint,* 32. *Rhætiæ plures erant.* 57
Columnæ milliares. 72. 73. 74
Conus nucis pineæ. 51. 63. 64
Cultri ænei antiqui. 154
Curia an Tribunal, 59. *Curia haud fuit Caput Rhætiæ I.* 140. 141

D.

DAcia. 82
Danubius, per Oenum indigitatur, 26. *ex Celtis naſcitur.* 112
Druſomagus, Caput Rhætiæ haud fuit. 142. 143. 144
Durus, id eſt mons Taurus. 97

E.

EMerita, titulus Veldidenæ Coloniæ. 128
Engadina Vallis. 118
Etſchländer. 110
Euſebius. 77

F.

FAbricius. 60. 61
Feltria, urbs celebris. 117. 137
Fibulæ antiquæ recenſentur. 154
Finalis, amnis Colonicus. 123
Florus, Livii Epitomator. 81
Foiningen, *pagus.* 24

G.

GAlli, Germani, Illyricique pro unius

nius gentis nationibus fuerunt habiti. Pag. 111
Germani vicatim ſolùm habitarunt. 118
Genaunes. 9
Gruterus. 67

H.

Hanſizius. 17
Heſperia Græcis ſemper Italia eſt. 103
Hetruriæ Scriptores recenſentur. 92
Hetruſcæ literæ. 92
Hetruſci, antiquiſſimus Italiæ populus, 90. 113. 114. *duce Rhæto in Alpes immigrarunt.* 135
Hilarius. 18
Hœttinga, pagus. 149
Horatius. 8. 30. 53. 96

I.

Illyrici, qui populi. 111. 112
Iſarci. 9
Iſter in Pyrene naſcitur. 99
Italia univerſa culta fuit à Tuſcis. 115
Itinerarium Antonini, v. Antonini.

L.

Lacus Brigantinus. 56
Lambecius. 2. 10
Lapides plures recenſentur, 84. 85. 86. *Lapides antiquitatis notæ in Veldidena cur perierint,* 160. 161. *Lapides milliares ſine inſcriptione hodiedum proſtant Veldidenæ.* 162
Lapis Tridenti ſpectabilis. 57
Latina Colonia. 126
Lauginga. 24
Lauriacum, caput viarum, 17. *everſa fuit ab Hunnis,* 21. *Colonia jam ab Auguſti ævo fuit,* 28. 31. *Norici urbs princeps.* 35
Lazius. 52. 70
Lotterus. 20. 93
Lythoſtroton. 51

M.

Maffejus. 18. 20. 22. 68. 88. 91. 115
Maja, urbs. 147
Malela. 82
Maſcovius. 2
Monumenta antiquitatis à Velſero allata, 49. *examinantur,* 67. *ſqq. quæ ad Auguſtum certo pertinent.* 50
Monumentum in ære Perginæ repertum. 91
Municipium quo ſenſu accipiendum. 132. 133

N.

Naunes. 9
Noricum, ejus nomine comprehenſa fuit Tyrolis, 10. *Noricum in nomen quando tranſierit Rhætiarum nomen.* 80
Notitia utriusque Imperii, ejus antiquitas, 14. 22. *comprobat Veldidenæ nobilitatem,* 22. *ſqq. quid contineat,* 23. *Interpres ejus Pancirollus.* 23
Nummi à Velſero allati, 46. 47. 48. *primus examinatur,* 62. *ſecundus,* 62. *tertius,* 62. 63. 64. *quartus,* 64. *quintus,* 64. 65. *ſextus,* 65. *ſeptimus.* 65

Nummi circa Oenipontum reperti. Pag. 156
Nummus rariſſimus, Otho æreus, repertus. 157
Nux pinea. 51. 62. 63. 64. 65. 68

O.

OEnipons minime creſcere potuit ex ruinis Withinenſibus, 149. *ſpectabilis factus per ſuburbia.* 150
Oenus, per eum Danubii fons intelligendus, 26. *aliàs Enus ſcriptus,* 127. 137. *ejus prærogativa.* 99
Oppidi nomine urbs intelligenda. 117
Otto, Jacobus. 7. 24

P.

PÆones ſunt Brenni. 107
Pancirollus. 23. 63. 88
Parten-Kirch. 73
Paterculus. 76
Phæniana, ſic Phibiana vocantur Ptolomæo, 24. *quid ſub his latere poſſit.* 25
Phibiana. 23. 24. 25. 26
Plinius. 4. 12. 76. 96. 106. 119
Polybius. 90. 112
Pons Oeni, caput directionis, 17. *urbs olim ampliſſima,* 21. 35. *incertum, an Colonia.* 31. 35. 37
Procuratores monetæ. 63
Ptolomæus. 8. 72. 77. 83
Pudens, cognomen Flaminis, aliorumque, 131. *Pudentis officium in Veldidena.* 132
Puſtriſſa, vallis. 111
Pyrenæus, mons, p. 99. 101. 102. *Pyrenæi etymologia.* 103

R.

REliquiæ Veldidenæ. 154. *ſqq.*
Rhætia, continebatur hoc nomine Tyrolis, 7. *ejus incolæ,* 8. *eam vicit Auguſtus,* 32. *in eam deductæ Coloniæ,* 33. *ejus univerſæ princeps urbs Veldidena,* 40. *ejus diviſionem in Imam & IIdam ab Hadriano eſſe vult Velſerus,* 46. *ſed hoc non conceditur,* 81. *ſqq. ſignatius vero hac ſuper re indagatur,* 87. *ſq. ei ab Auguſto Coloniæ fuerunt inductæ,* 121. 122. *ejus Colonia ſplendidiſſima, quæ à Tacito intelligatur,* 56. *frumenti lectiſſimi fertilis,* 59. *quo tempore in Romanorum poteſtatem redacta,* 60. 61. *cum Vindelicia non eſt confundenda,* 75. *ſqq.* 92. *dudum ante Vindeliciam Romanis fuit cognita,* 89. *ſqq. Rhætiæ ſecundæ nomine quo tempore Vindelicia venerit,* 79. 80. 88. *Rhætiarum nomen quando tranſierit in Noricum.* 80
Rhæti in multos populos fuerunt diviſi, 52. *cum Vindelicis male à Velſero conjunguntur,* 53. 54. *intelliguntur per Briones,* 109. *gens Martia,* 121. *eorum proavi erant Chananæi,* 115. *de Rhætorum populis quid ſenſerint Romani,* 95. *Rhætorum gentis antiquiſſima origo.* 90
Rhætica lingua. 119
Rhætico, mons deſcribitur. 98. 118
Rhæticum vinum. 93. 105

Tabula Erratorum.

Pag.	*Lin.*	*Locô.*	*Lege.*
2.	16.	num	nunc.
--	21.	advoluta	advolutam.
4.	29.	hos	nos.
--	31.	ducendorum	dicendorum.
9.	2.	Porphyrius	Porphyrio.
10.	8.	aræ	arce.
--	19.	hos	nos.
11.	4.	aliquum	aliquid.
--	13.	quum	quò.
28.	25.	his	has.
--	33.	Ovilaris	Ovilabis.
30.	3. &	Patavinorum	ex Patavinorum.
31.	11.	adde post:	*Principes*, sed.
35.	ult.	Coloniam	Colonia.
37.	8.	adde post:	*Sardicam:*
39.	3.	urbibibus	urbibus.
--	22.	ARIMINA	ARIMINO.
44.	31.	ne	næ.
52.	5.	fermocinatũ	fermocinaturũ.
--	8.	quod	quid.
53.	31.	ridêre	vidêre.
62.	18.	ambo	amabo.
67.	9.	dixiſſe	dixiſſem.
71.	6.	atqui	atque.
72.	1.	Aquinoctio	Æquinoctio.
74.	5.	Lung	Lueg.
76.	4. &	Vindelici	ET VINDELICI.
77.	13.	Rhætico atque Vindelico	RHÆTICO ATQUE VINDELICO.

Pag.	*Lin.*	*Locô.*	*Lege.*
85.	10.	RAETA	RAETA.
90.	15.	LXXXXVI.	DCXXXVI.
92.	16.	Belulenſes	Belunenſes.
100.	10.	nomen &	nomen;quorum.
---	24.	Inus	Jnus.
103.	2.	Sydius	Lydius.
111.	19.	præ	pro.
118.	35.	Mela	Melæ.
123.	11.	Clenomannis	Cenomannis.
---	20.	*adde in margine:*	p.113.& 121.
---	30.	Ricelium	Ruelium.
129.	22.	Urbem Auguſtam Prætoriã tenet, Auguſtam Rauracorum.	*Urbs Auguſta Prætoria fuit.* Item Auguſta Rauracorum, in quos.
132.	22.	ſciviſſe	ſciviſſem.
134.	22.	(ſtabulis)	(Stabulis.)
136.	7.	Auguſtum	Auguſti.
---	25.	Principio	Principib.
137.	27.	adde post:	*nominare*, non.
147.	18.	Cluſium.	Cluſina.
148.	13.	quinto	ſexto.
155.	15.	tampore	tempore.
162.	14.	numerabilibus	numeralibus.
---	29.	Amraer	Amraßer.
165.	11.	Scha	Schabs.
167.	21.	adde post:	*Montefalconius)* & qui humanis.

Errores reliquos plerumque leviuſculos, qui per Authoris abſentiam ferè ſemper irrepunt, & potiſſimùm interpunctiones, uti & majuſculas minuſculásque Litteras (præcipuè poſt duo puncta) tangunt, duce ſenſu legitimo, & bona mente haud difficulter deprehendet, ac corriget Lector.

Fr. Herbitzky

Dno Ernesto de Rinna

Archiatro quondam suo

D. D. D.

Per D. Joseph de Machado

Archiatrum

[illegible]

3 0112 098531269